

Interim difficillima & radiosissima, imo & sumtuosissima opera hunc lapidem tandem ab artificibus obtrineri, testantur ad unum omnes, ab autoribus adducti, hunc elaborandi processum, seu præparationes, vel oratione soluta, vel sermone ligato, prostantes, quorum multos scriptores Hermolaus-Barbarus nominatim protulit, plures vero addidit sæpius laudatus inclytus ac verè πολυμαθής J. C. D. Reyherus cit. tract. p. 95. seqq.

cujus præparationes sunt difficillimæ, & radiosissimæ, imo & sumtuosissimæ sermone soluto & ligato prostantes de cujus basi & aliis huc spectantibus Beccherus consulendus.

De hujus tincturæ seu lapidis basi, perinde ac aliis ad præsens argumentum spectantibus multa possent huc vocari. Sed abrumpendum est filum, & benevolus lector exorandus, uti plura ad hanc transmutationis Philosophiam spectantia cum primis ex sæpius memorati Beccheri supplemento in phisic. subterr. II. do petere haud velit gravari.



## SECTIO II.

DE

# AURO MEDICO.

CAPUT I.

DE

## PRÆPARATIONE AURI AD MEDICAMENTA SOLARIA.

§. I.



Præparatio auri ad medicamenta ex eodem obtinenda consistit in ejusdem depuratione, tum à sordibus extrinsecus eidem adherentibus, tum à metallis imperfectioribus eidem intrinsece admixtis.

Præparatio auri ad medicamenta consistit in

G 2

§. II.

§. II.

eiusdem  
depuratio-  
ne, tum à  
sordibus  
extrinsecis

*Depuratio à sordibus* vel simplici deterfione massæ aureæ, cum pulmento, ex pulvere tartari crudi, & salis communis, aqua simplici consperso, obtinetur. Vel, quod melius, ita absolvitur, ut massa illa prius candefacta, dein in aqua simplici iisdem pulveribus imprægnata decoquatur. Aut, quod minus operosum, postquam fuit candefactum, refrigeratumque, oleo saltim tartari per deliquium, adhibito etiam peniculo ex filis orichalceis parato (*Drat. Bürste*) detergatur, & nitori suo tradatur.

§. III.

tum à me-  
tallis aliis  
admixtis,  
quod pe-  
ragitur,  
partim via  
sicca

*Depuratio autem auri à metallis aliis admixtis*, vel via sicca, vel via humida peragitur. Illa adhibet vel *antimonium* vel *cementum*. *Plumbum* enim, tertium illud, quod pro hac depuratione adhibetur, medium, reliqua equeidem ignobilioria metalla ab auro separat, haud tamen *argentum*, de quo in sequentibus.

§. IV.

per anti-  
monium

*Antimonii sulphur acidum* omnia reliqua metalla aggreditur, devorat, atque volatilifcat, id est secum in fumo aufert, indeque *lupus Hungaricus* dicitur. Processus est sequens:

Rx. Antimonii pulverisati  $\bar{z}$  IV. metalli mixti  $\bar{z}$  Iß. fundantur in crucibulo igne conveniente adhibito, additoque etiam pulvere fusorio communi (ex tartari crudi pulverisati partibus ij. & nitri puri part I. detonatis præparato) eliqventur in regulum, metallicis partibus gravem, separatis scoriis. Hæ pulverisatæ, cumque pulvere carbonum commixtæ, denuo fundantur, ut, quicquid metalli ac reguli iisdem adhuc inest, denuo in fundum ac regulum secedat atque descendat. Regulum omnem super cupella, ex osium, ac

ac fagi cineribus confecta, sub *tesudine* (unter der Muffel) violento igne, follium flatu animato, in auras abige, & restabit aurum purissimum. Vel

Rz. Auri impuri p. i. vel ij. antimonii pulverisati p. iv. vj. vel viij. Mixta, inque crucibulum immissa fundantur. Tandem adjiciantur, nitri puri pulverisati ℥j. limaturæ martis ℥iij. & apparebunt, varii colores, qui dicuntur oculi perdicum. Post sufficientem fusionem, quæ *obortis scintillulis* se manifestat, massa effundatur, consveto more in regulum, à scoriis separandum. Scoriæ istæ iterum fundantur, addita limatura martis, ut, ex ipsis, si quid adhuc continent reguli, idem eliciatur, & pro renata, hæc opera eo usque repetatur, donec nihil amplius reguli scoriis insit. Regulus hac ratione obtentus, denuo in furnum anemium immissus, igne fortissimo, adhibito quoque, si opus est, alacri follis afflatu fundatur, injecto etiam nitri sale, eousque, donec antimonium, omne in auras, per fumum, avolaverit, cessantibusque fumis, aurum ipsum quiete follem patiatur. Massa, in aquam frigidam effusa, in novo crucibulo, denuo colliquescat, addito, per intervalla, chryso-collæ tantillo, & follis afflatu in auxilium vocato, ulterius purgetur, donec colores, iridis illos æmulantes, oboriantur, & tunc in canalem ferreum, (den Einguß) cera vel sebo illitum, & charta abstersum, effundatur, atque, ubi refrixerit, ex eodem eximatur. Et obtinebitur aurum purissimum colore saturato adblandiens, cerationum XXIV, ultra quod non datur ascensus. Hæc depuratio auri per antimonium solet anteponi illi, quæ instituitur per cementationem, artificibus dictam, nunc memorandam.

vel cemen-  
tationem,

*Cementatio auri*, quæ est calcinatio clausa, ita peragitur: Aurum impurum in lamellas sub malleo ducitur, (quæ crasfitiem dorsi tenuioris cultri excedere haud debent). Dein fit sequens pulvis cementatorius, Regalis appellatus:

℞. Laterum tritorum. ℥ij. Vitrioli veneris ad ruborem calcinati, salis marini fusi, ana ℥j. nitri puri ℥β. salis ammoniaci ℥ij. Mixta & pulverisata seponantur ad usum.

Aliud cementum regale fortius. ℞. Vitrioli cyprini ℥j. Salis nitri puri ℥β. aluminis rupei, salis ammoniaci ana ℥ij. æruginis ℥j. exacte pulverisata, misceantur & patellæ terreæ non vitreatæ superfusa, calcinentur, ad exhalationem omnis humiditatis, optime spatula lignea materiam movendo. Ubi vapores cessarint omnes, in pulverem restans corpus reducatur, & asservetur pro cemento regali, id est, pulvere, pro auro, metallorum rege, à mixtura aliorum depurando.

Fiunt ergo ex hoc impuriori auro in laminas ducto, & cemento dicto, ab hoc ipso pulvere incipiendo, lecti alterni (strata super strata docimastis appellantur) in peculiari vase argillaceo, operculo probe munito, quod pyxidem cementatoriam vocant, ita, ut cementum denuo agmen horum stratorum claudat. Vas hoc, ex præcepto *Borrichii* cit. loc. p. 36. imponitur igni, in furno anemio, qui tamen fusorio paulo esse debet remissior, per horas XXIV. Exemptæ, aquisque calentibus elutæ, lamellæ, exesis propemodum mordaci illo cemento metallorum cæterorum additamentis omnibus, erunt purgatæ, & puritate ad ceratia XXIII, minimum adscendentes (quæ repe-

repetita denuo eadem opera ad XXIV. ceratia pro-  
xime poterunt deduci ) addito borracis momento eli-  
qvandæ. Dum autem aurum fufum in vaginam fer-  
ream, cera illitam, calentemqve, immittitur, chartula,  
febo & cera peruncta, fupra vaginam incendatur, ut  
aurum tandem effufum, frigidumqve, grato nitore  
splendefcat. Neqve vero pulvis à cemento rediens,  
abjiciendus, cum primis, fi argentum maffæ inhærens  
non modo haufert, verum &, fi mordacior, mul-  
tisqve falis ammoniaci fpiculis armatus, etiam auri  
tantillum populatus fuerit, eoqve, ubi ufus feret,  
cum aliis generiofioris metalli reliquiis, mediante fu-  
fione, cum fale tartari, & cupellatione, artificibus fic  
dicta, purgari meretur.

§. VI.

*Cupellatio*, modo dicta, tertius eft modus, quo au-  
rum à reliquis maffis metallicis, foleo argento excepto,  
folet depurari. Formantur nempe, modo à *Borri-*  
*chio* cit. loc. p. 7. curate defcripto, ex cineribus fagi-  
nis, optime purgatis libra I. ponder. civil. ofium, ex  
tibiis bubulis & eqvinis calcinatorum, infipidiffimo-  
rum, unciis VI; argillæ fubcœruleæ drachmis XVIII.  
probe mixtis, atqve aqua fontana, ut preffa mani-  
bus cohæreant, irroratis, beneficio modioli Orichal-  
cei cavi ( *nonnam* vocant ) & æqualis piftilli orichal-  
cei ( *monachum* appellant ) impulſu, alveoli, *cupellarum*  
nomine venientes, polline offeo fubtiliffimo mox  
perſpergendi, lente, ne rimas contrahant, exficcan-  
di. Harum cupellarum duæ in furno, peculiari ra-  
tione ad has operas conſtructo, ac docimaflico appel-  
lato, fub teſtudine ( *einer Muſſel* ) inqve ejus pav-  
imento prius inverſæ, ut earum fundi probe incale-  
ſcant, collocentur, deturqve ignis carborum fagino-  
rum

aut etiam  
cupellati-  
onem, in  
qua rema-  
nens ar-  
gentum

rum bene coctorum, sufficiens, utque omnia bene  
candescant. Invertantur denuo cupellæ, stentque  
erectæ, donec iuste incaluerint, quod granulis ali-  
quot plumbi ( optimum est *Villacense*, cui succedit  
*Goslariense* ) in alterius alveolum immisis, periclitari  
bere. Si enim ex plumbo eliquato aliquid mox in  
altum subsultat, frigidior est cupella, quam decet, &  
hinc ulterius calefacienda. Inferatur deinde plum-  
bum, quadrupla quantitate metallum depurandum su-  
perans, in unam cupellarum harum, & idem quoque  
fiat in altera cupella, ut, diviso metallo in duas partes  
æquales, ex utriusque æquali vel inæquali grano, exa-  
minis justitia æstimari queat. Plumbo, per fusionem  
tremulo, adde quartam metalli partem per vices, ne  
scilicet plumbum ab ebullitione sistatur, & operatio  
retardetur. Intendatur post hæc, jubente idem sæ-  
pius laudato *Borrichio* cit. l. p. 17. ignis valide, apertis  
ubique spiramentis, donec plumbum liquefactum in  
fluctus veluti crispetur; quo viso, remittendus non  
nihil, contractis tantillum ostiolis, calor, ut quietius  
fluctuet, & nihil ab ignis violentia cedat in prædam;  
in quo statu regendus ignis, donec omne plumbum,  
post varios in superficie colores, tandem etiam iridem  
exhibentes, partim in fumum secesserit, partim in  
poros catini seu cupellæ sese insinuaverit, relicta in  
alveolo catini, quod in metallo commixto vehebatur,  
globulo ex auro argentoque solo conflato, quieto,  
quod jam ad *fulmen excoctum* ( *wenns blicket / oder  
blisset* ) ut vocant, & calens adhuc, forcipe teneriori  
eximatur. Ex hac auri & argenti commixta massa,  
aurum denuo vel antimonio, vel cemento, vel quod  
melius est, *via humida & quartatione*, sic appellata, modo  
nunc referendo, poterit separari.

§. VII.

§. VII.

Massæ, lapidi lydio affricæ, jungitur acus probatoria, eidem colore respondens, quod pari affricu tentandum, ut pateat circiter, quantum auri, quantumque argenti eidem insit. optime separatur ab auro, via humida, & per variationem Examine hoc instituto additur huic massæ, si deest, tantum argenti, ut aurum purum inibi delitescens *triplo* proportione vincat; *tantum* enim, ad minimum, *argenti* requirit massa, priusquam *aqua forti* commode velit obtemperare. Quo facto juxta *Borrichium* cit. loc. p. 31. massa tota, eliquando commissa, vel in *laminis* ducitur, quæ minorem aquæ fortis quantitatem requirunt, vel, quod promptius transigitur, in *grana* per scopas betulinas, aquæ in cupa immerfas, excutitur, ad quæ major aquæ fortis copia est adhibenda. Hæc enim *aqua fortis* bonæ notæ, ex vitrioli Goslariensis & nitri puri æqualibus portionibus, per retortam argillaceam robustam, in recipiens vitreum amplissimum, post phlegma, destillando evocata, quantitate sufficiente utrobique affunditur. Postquam steterunt in digestionem, donec solutio cesset argenti, inuenies pulverem auri à reliqua massa secretum, infundo subsidentem. Sed ab hoc opere, nondum cessandum, verum effusa priori aqua forti, quæ moleculis argenteis jam saturata, *alia* iterum iterumque est affundenda pulveri aureo priori, sed optimæ notæ & valida. Sic coctione dimidiam horam instituta, quicquid adhuc ignobilioris metalli auro erit admixtum, in aquam illam fortem ascendet, relicta in fundo aurea illa calce prorsus pura & ad ceratiorum XXIV. nobilitatem ita exaltata, ut ampliori per antimonium instituenda depuratione, haud egeat. Ubi aqua fortis ne minimam argenti particulam amplius evocandam invenerit, tunc illa  

H

effusa,

effusa, *fontana* eousque incoqvenda est calx aurea, donec omni aciditate & acrimonia elutâ, aqua limpidâ & prorsus insipida defluxerit. Calx aurea leniter exsiccata, vel hac forma pro usibus, dehinc memorandis adservatur, vel si lubet, in crucibulum immititur, & postquam incanduerit, addita chryfocolla, borracis nomine veniente, eliqvatur, & in canalem ferreum calefactum, seboque vel cera illitum, & charta abstersum effunditur, ut in laminas qveat tenuari. Argentum deniqve in aqua forti solutum, ne dispareat, e poris & meatibus aquæ stygiæ mediante *lamina cuprea*; aut quod melius, cum ex his laminis argentum aliquid impuritatis exforbeat, *salis communis*; vel, quod optimum, *salis tartari*, in aqua soluti, additque, ope excutitur, atque in fundum, pulveris albicantis vel grysei forma, præcipitatur, qui à salibus, eodem aquæ simplicis adminiculo, est liberandus.

## §. VIII.

qua eadem  
via humi-  
da etiam  
aurum ab  
aliis me-  
tallis se-  
jungi po-  
test.

Et hæc per aquam fortem instituta separatio non tantum ad solam auri argentique, verum & aliorum metallorum, v. gr. cupri, orichalci, ferri & bismuthi auro admixtas massas potest extendi, solo plumbo & stanno exceptis, quas substantias ægre admodum, &, non nisi aquæ fontanæ paucæ interventu, aqua hæc stygia adgreditur ac dissolvit. Antefertur hæc operatio, via humida procedens, *cupellationi*, quoniam observatum est, argentum cupellatum, solutum, tincturam cæruleam elargiri, manifesto cuprearum molecularum, adhuc admixtarum, indicio sese prodente.

## §. IX.



## §. IX.

Adduci nunc posset ipsa etiam *auri*, modis usque huc memoratis depurati, *calcinatio immersiva*, auri-  
 bus appellata, per menstrua liquida, aquam regiam, spiritum nitri bezoarticum, spiritum salis rectificatissimum, & reliqua procedens. Verum, cum, uti sequentes paginae docebunt, hæc operatio saltim pro hac vel illa medicina ex auro paranda adhibeatur, tum commodius ad illius recensionem eam posse differri, existimavimus.

Auricalcinatio immersiva ad sequentia differtur.



## CAPUT II.

DE

VSV MEDICO AVRI IN  
SUBSTANTIA ADHIBITI.

## §. I.



**A**urum, ab aliis metallis separatum, finissimumque redditum, ac in lamellas tenuissimas, seu *folia* ductum ab *Arabibus*, qui hujus metalli virtutem primitus sibi dedere expertam, jam tum fuit in *usum* vocatum & suis compositionibus additum. Exemplum hujus præbent Aurea Alexandrina Nicolai; Electuarium de ovo Aureo, & reliqv. Hodie autem *aqua*, Carbunculi aurea, apoplectica, magnanimitatis, Velthemiana, & aliæ *pretiosæ*; *pulveres*, item, bezoardici, pannonicus ruber, epilepticus Marchionis, & alii *nobiles*; Con-

Aurum foliatum & olim;

& hodie medicamentis additur,

H 2

fectio-

*fectiones* quoque alkermes, de cinamomo regia, & reliqu. in officinis prostantes eadem folia auri addita & incisa recipiunt.

§. II.

ab aliis  
scobis ejusdem,

ejus vires  
recensentur.

Alii non auri puri folia, verum idem in ramenta, *scobem*, seu limaturam, & hinc pulveris in formam redactum adhibent, hujusque scrupulum dimidium vel integrum ægroto propinant, tali cum successu, ut idem pulvis à stomachi fermento subactus, vitiosos humores corrigat, eorundemque discussione ac diaphoresi, sanguinem mundificet, nec non balsamum, seu calidum nativum cordis corroboret, sicque in omnibus morbis, in quibus vires sunt reficiendæ, multo & præsentem cum emolumento, in usum vocetur.

§. III.

Unde medicamentis & virtutem & gratiam conciliant.

Cumque eorum, qui aurum foliatum suis pharmacis miscent, multi, & eosdem usus respiciant, & eadem opera medicamentis suis *gratiam*, atque splendorem concilient; multi autem *nitorem* hunc medicamentis hac ratione parum equidem admittant, *virtutes* autem auri memoratas in *dubium* vocent; imo alii has non modo *negent*, verum & *noxas* à foliis auri, cum medicamentis sumti, adducant; tum digna erit, quæ hoc loco expendatur quæstio: *an auri in substantia adsumti aliquis sit in medicina usus?*

§. IV.

Gratiam concedunt omnes, Virtutes negat Zvvefferus imo damna hujus metuit.

Duplicem allegavimus ab autoribus memoratum usum, medicamenti *gratum* ad spectum & ejusdem *vires* ad auctas. Primum concedunt omnes, cum primis auro in folia ducto. Secundum negat, imo damna hujus auri foliati affert Zvvefferus in suis in Pharm. Aug. p. 165. & Mantis: animadversionibus, Sp. p. 316. distinguitque inter *aurum foliatum* & *scobem Auri*, seu idem

idem in pulverem minutum redactum. Aurum foliatum inutiliter adhiberi statuit, tum quod ejus dosis admodum exigua fit, tum quod fermentum ventriculi actionem in illud exerere nequeat, sed se chylo immisceat, & tunicis ventriculi saltem se insinuet, ut inde ad nauseam potius & ἀπερίαν disponantur. Et ita nullum alium habeat usum, quam ut oculis blandiamur, & conceptam vulgi, ingentem in aurum fiduciam collocantis, opinionem stabiliamus. Aliam autem esse rationem auri *raspati* in pulverem redacti, cui omnes superiori §. II. memoratas virtutes, lubens adjudicat.

§. V.

Mitius tamen de auro in substantia adsumto, & vires ejus non prorsus negans sentit Exper. mus non prorsus negat Major quondam Academiae Kiloniensis Medicus primarius B. Joh. Dan. Major in Genio errante cap. 16. inqviens: Exiguum prorsus & pæne dixerim, nullum auxilium, illud est, quod in Medicina ex auro foliato vel auri, pulvere & scobe, electuariis & pulveribus cordialibus, aquisque spirituosis addito, vel cum eduliis resectoriis cocto obtineri præsumunt ex vulgari sententia.

§. VI.

E diverso autem Experientissimus D. *Lentilius* in suis Miscellaneis medico practicis lib. I. p. 238. scripto nunquam satis laudando, & praxin medicam noviter exercentibus multum proficuo, se auri non adeo nullas extare in corpus humanum vires esse persuasissimum refert. *Hominem, vinum, & aurum* se intime amare, trium quippe Regnorum Reges, Philosophorum perpetuum, idque verissimum, esse dicitur. Inde ab omni ævo varios & pæne innumeros excogitatos

tatos esse modos, *auri corpus compactissimum in potabilem formam* redigendi. Consentire autem in eo plerosque, non tentandam *auri* solutionem, puta radicalem, *menstruis, corrosivis*, aurum potius discerpentibus, quam solventibus. Consentire omnes, verum *auri* menstruum esse *liqvozem inspidum*, qui sine strepitu poros ejus penitissime subingrediatur & vinculum cohaesionis ita solvat, ut butyrum ab igne liqvescit, vel potius, ut sal in aqua. Se itaque solutiones *auri* à corrosivis factas repudiare, neque irradiationem *Helmonrii* alienam ab omni sana philosophandi ratione amplecti. Neque etiam *Burchianam auri extinctionem* sibi arridere. Quid ergo, *inquit* ulterius, quid si menstruum ventriculi sit analogon quid menstruo isti, universali aurum radicaliter solventi? Num id absurdum penitius consideranti videatur? Annon possint à tanto, eoque inspido, ac qualitates universalis menstrui, ob ciborum varietates, exacte referente menstruo, quaedam *auri bracteati* vel foliati particulæ abradi, solvi, cum sanguine per atomos minimos misceri, operari? Istud contradicere qui ausint, quibus cum fundamentis id facere possint, videant. Non obstat per alvum reddi ducatos in obsidionibus aut, alias deglutitos sine ponderis ulla diminutione. Quid de poculis antimonialibus, tot innumeros vomitus infusione simplici, nulla notabili ponderis amissione, citentibus? Quum compactum, sed & quam diffusissimum mole corpus sit aurum, quis est, qui nesciat? Non interim inficiamur, haud adeo magnam esse, quæ hinc expectatur, virtutem, dummodo quis esse aliquam largiatur. At si poculi antimonialis est tam effera purgandi virtus, cur non sit *auri* vis roborandi, non adeo, quam est cathartica in sensum cadens. Suspici-

spicimus virtutes *auri potabilis* quippe jam radicaliter  
 soluti: Nullas tamen esse nondum soluto inficiamur.  
 Quid, si quis ducatum v. g. centies deglutiret, an  
 semper idem pondus in statera sit reperturus? vehe-  
 menter dubito. Utinam! qui nosset essentiam sto-  
 machici & animalis, revera universalis, menstrui,  
 via tunc ad inveniendum *alkahest* verum tam obscura,  
 tam salebrofa non esset. Calorem nostri corporis  
 esse mitiorem, quam, qui *aurum* contra quid va-  
 leat, nemo sibi imaginetur. Ad auri solutionem,  
 opus esse molli igne, forti enim non conflare, pru-  
 dentissime censuit *Hippocrates*. Mollis ejusmodi ignis  
 est *alkahest ventriculi*, quod omne ingestum, cujus-  
 cunqve deniqve sit naturæ, adgreditur. Adgreditur,  
 inquam omne, non solvit omne. Siquidem inter  
 agens & patiens opus est, ut sit proportio. Non di-  
 gerimus ferri frustra, non tamen intacta relinquit ea  
 stomachi menstruum, experientia teste. Detur ta-  
 lis limaturæ quantitas, quam inter & *alkahest* sto-  
 machi proportio intercedat, num eam iri radicaliter  
 solutam quis negaverit? Sed quorsum? Id volumus:  
 Menstruum universale frustra quæri in solis minerali-  
 bus, propterea quod *smaragdina tabula* teste, quid  
 universalius esse debet, ut ita loquar, eo quod reci-  
 piat vim superiorum & inferiorum. Tale si non est  
 ventriculi menstruum, oportet sane, ut huic sit per-  
 quam simile. Iterum dico: *In homine, vino, & au-  
 ro, latet maxima virtus.* Intelligentes me intelli-  
 gent.

Cum hoc ergo viro Experientissimo nos profus  
 facimus, cum primis quoniam teste *Plinio*, in numo  
 aureo deglutito, & cum fecibus alvi excreto, expres-  
 sa imago multum fuit exesa, hincque haud digno-  
 scenda,

Cui & nos  
 adstipula-  
 mur

scenda, poculisqve *antimonialibus* autoris etiam *cinnabarim nativam* adsumtam jungimus, quam cum fecibus quidem excerni, quasi integram, autopsia docet, viribus nihilominus presentissimis in corpore ægri relictis. Par ratio erit *liquidorum argento vivo superfusorum*, quæ liquida in usum vocata *anthelmintica* esse, omnibus constat, nullo tamen *substantiali* detrimento *notabili* argento vivo hinc detracto. His ergo non levidensibus rationibus, sed firmis demonstrationibus inducti *auro* quoque, in *substantia* adsumto, *virtutes* suas *haud denegandas* esse existimamus.



CAPUT III.  
DE  
TINCTURA AVRI.

§. I.

Tincturæ  
Auri definitio, cujus  
definitum,



*Tinctura auri est liquor coloratus, auri virtutes medicas in se continens.*

subjectum,

*Tinctura* nomen suum à *tingendo* acceperunt, quoniam exhibent *liquidum*, non *limpidum*, sed *colore tinctum*, & præter virtutes, quibus gaudent, etiam *jucundo colore*, eoqve non *levi*, sed *saturato*, fortiore, ac prædominante sese commendantes. Tales sunt etiam *tincturae*, paratæ ex *Auro*, methodo cap. I. adducta, præparato ac *depurato*. Utut enim alii non aurum ipsum & in *substantia* adhibeant, sed modo ex *terris variis nobilioribus*, *Silesiaca Strigoniensi*, aut ex *rubra*, aut *sigillata*, aut *talco*

talco rubro & reliqv.; modo ex *lapidibus*, tum minus *pretiosis*, v. gr. *silicibus* selectis, ( quos in *Tincturam* suam *solarem nephriticam* etiam recipit *Clauderus* ) tum *pretiosis* ac gemmis, rubino, & hujus specie carbunculo; alii ex *metallis*, *marcasita aurea*, & antimonio ipso; alii tandem ex *mineralibus aurum continentibus* sulphura solaria elicere, & ex his tincturas solares parare satagant; meliud quid tamen edocti ex ultima, modo allata *minerarum auriferarum* substantia sulphur inquinatum ac impurum extractum metuunt, reliqvas vero omnes antecedentes tincturas, tanquam spurias & minus efficaces rejiciunt, atque ad tincturam auri *aurum optimum* esse adhibendum, uno ore asseverant.

Vocamus porro tincturam auri *liquorem*, non liquidum, quo ipso innuimus *liquidum saturatum*, & tenui contradistinctum. *Improprie* enim & latiori hujus vocis in significato etiam croci, sulphura, & *medicamenta* composita alia colorata *sicca*, & sub pulverum forma extantia *tincturarum* quoque nomine veniunt. Unde *tinctura auri Cellensis* item *nostra* pulvis est, gratisimo cinnabarino colore, & ob oleum cinnamomi adjunctum, aliisque Spiritibus, accepto etiam odore adblandiens. Est porro

*Liquor colore fortiore* dotatus, quem ex eo obtinet, quoniam ex *sulphure solis* seu auri *expanso* atque soluto confit & emergit. Omnis enim color, quod jam superius dictum, cum sit à *sulphure*, hinc docente denuo Ill. *Vvedelio* pharmac. acroamatic. p. 505. tincturarum fundamentum omnino consistit in sulphure expanso & solubili, quod harum est causa materialis, diffusum magis vel minus in mixtis, hac vero ratione unitum, extractum & solutum, solvendo autem ex-

Genus re-  
motum  
&  
Homonymia,

Genus  
proximum,

pansum. Hoc ipsum beneficio *salium & mensruorum accommodorum*, adjuvante quoque calore, in auro non minus fieri, sequentia docebunt. Et quoniam sulphur *vinculum* est reliquorum principiorum nostri auri, inde etiam, mediante hoc ipso, obtinebimus

differentia

*Vires egregias, ex auro expectandas, atque tales, ad quas aliorum medicamentorum, in morbis gravissimis & sæpe desperatis in usum vocatorum, virtus pertingere haud valet. Has suo loco non minus recenserebimus.*

Synonyma,

Et quoniam hæc tincturæ aliis modo *essentiarum, modo elixiriorum solarium* nomine veniant, nos tamen *tinctura* appellationem retinuimus ex eo, quia in his & color & virtus simul; in *essentiis* autem magis virtus quam color intenditur, *elixirii* autem vox, strictiori in significato, *essentiam* magis *compositam, saturatam, atque aromaticam cumprimis, solet denotare.* *Aurum potabile* etiam communiter tinctura hæc vocatur, quia aurum ex sua substantia solida ac sicca transit in liquidam, atque potui immiscendam, cumque eodem absorbendam. Tacemus aliorum nomina, sæpius satis magnifica, quando his *quinta essentia auri, illis oleum auri, istis arcanum sulphuris auri* solet appellari.

§. II.

Hanc alii prorsus negant, alii haud rite elaborant, aliqui tamen egregiam obtinent,

Quoniam vero ex superioribus constat, quam *solidum, & moleculis suis admodum implexum, irretitumque hoc auri sit corpus, tum non mirandum est, alios prorsus negasse, aurum ullo modo in liquorem esse reducibile; alios vero hujus substantiæ nobis equidem solutiones, nullas tamen extractiones dedisse; aliquos tamen eo felicitatis pervenisse, uti, præparationibus non contemnendis, verum eximiis, medica-*  
men-



mentum ex eodem obtinuerint, & colore jucundum,  
& viribus profus præstans atqve commendandum.

§. III.

Fasum atqve prolixum nimis foret, omnes tin- Unde  
cturæ hujus obtinendæ ab autoribus memoratas me- modos  
thodos his in schedis exhibere. Qua de re selectiores selectiores  
quasdam tantummodo in medium proferemus, atqve damus.  
in quibus vel propius, vel remotius à scopo abesse  
nobis visæ fuerint, modeste exponemus.

§. IV.

Exordium hujus commemorationis ducimus à  
*Tilemannianis*, pro hac tinctura obtinenda, experi- (1) Tile-  
mentis, quæ nobis exhibet Experimentissimus Doct. manni,  
*Jungkenius* Chymixæ experimentalis suæ part. I, Sect. V.  
cap. VIII. p.m. 332. verbis seqq.

EXPERIMENTUM I.

**R**ecipe *æris coagulati* præsertim *Sole Leonem* *pera-*  
*grante*, vel *roris majalis* summe purgati part. x.  
*Calcis auri* subtilissimi part. j. digerantur, solvan-  
tur, coagulentur; vel

Recipe *rorem majalem*, destilla per septem alem-  
bicos, quod per septimum exit est spiritus, hunc ser-  
va, & affunde *sali fixo in fundo relicto*, abstrahere, &  
aliquid Spiritus manebit cum sale, cohoba toties, do-  
nec totus Spiritus sit devoratus à Sale, quod aurum  
suavisime amplectitur, affunde denuo *spiritum roris*,  
digere per mirabiles excrementas, solve, coagula.

Recipe *rorem*, abstrahere de manna, ut fiat Mercurius  
sublimatus, mediantibus solutionibus, & cohobiis in  
capite alembici instar nivis, qui in Spiritum redactus  
aurum solvit sine corrosione.

Recipe *Mellis puri* lib. j. *Salis fusi*. Subtilissime tri-  
 ti, vel *marini*, crebris, in aqua pluviali destillata, solu-  
 tionibus, filtrationibus, coagulationibus, purificati  
 lib. ifs. impone in vas fervens bulliant simul bene,  
 commiscendo &volvendo; donec sal crassum, & ni-  
 grum fiat, postea ab igne exime, & in loco humido  
 congelabitur in materiam duram, quam subtilissime  
*tritam, impone retorta vitrea, affunde aceti destillati*  
*optime dephlegmati* lib. ij. destilla ex arena, ultimo tam  
 fortiter, ut vas ferme igniatur, exhibit (1.) *acetum*  
*destillatum radicatam magna virtutis & odoris, ad auream*  
*Rem ex omnibus rebus extrahendam.* (2.) *terra feliata*  
 sublimabitur, quæ cum spiritu jungenda, à phlegma-  
 te separanda, & crystallifanda, in quam aurum semina-  
 ri potest.

Recipe *Nivis per totam hyemem collecti*, quantum  
 placet, digere in vase figillato ad separationem spiri-  
 tus, olei, crystallorum, & fæcum, quibus artificiose  
 conjunctis adde aurum virgineum, sive ex arena elo-  
 tum, solve, coagula.

## EXPERIMENTUM II.

Experim.  
 II. Tile-  
 mann.

**R**ecipe *aqua pluvialis, vel tonitrualis* maximam  
 quantitatem collectam, sine putrescere, evaporare,  
 ut restet liqvor quasi oleaginosus salis saporis, ab-  
 strahere omnem humiditatem, fiet sal, cohoba cum spiritu  
 priore, donec totum reddatur volatile, quod folia  
 auri solvit in oleum.

Recipe *Aquam pluvialem* immerge in cucurbita  
 semiplena hermetice figillata in aquam calidam, vel  
 digere in loco calido, donec faces ad fundum subsideant,  
 aqua cærulea supernatante. Illas digere cum decima  
 parte aquæ, donec inspissetur, repete septies, è qua  
 mate-

materia pingvi primò spiritum acidum, deinde igneum elicies. Utrumque rectifica, cohobando super pice relicta, intercedente semper digestionem. *Reliquum calcina ad albedinem, extrahe Sal. Liqvores omnes sal affunde, digere, exsicca in maria balneo, sublima ut fiat sal crystallinum, quod cum vel sine auro potest figi in rubedinem.*

### EXPERIMENTUM III.

**R**ecipe terra pinguis & deserta, in quam tamen, Experim. III. Tilemann. astra operantur, omnibus coloribus ornatae instar iridis, in fundis paludosis & lacubus, unde meteora vagabunda & ignes fatui exoriuntur, extrahe partem subtilissimam pro menstruo univ-

sali. Recipe Spiritum salis terra vulgaris, digere tamdiu, donec omnem perdiderit corrosionem, tum mire amplectitur aurum. Spiritus autem terra, melius per amicam putrefactionem, quam vim provocatur è corpore.

Recipe Terram beneficio putrefactionis nigram aut simplicem virginiam sine ullius seminis vegetabilis presentia, ad altitudinem aliquot pedum effossam, aqua humectatam & putrefactam per multos annos, aut stet in paludibus, & lacubus, exsicca. humect. aquam per pannum linteum instar pulpa exprim. destilla Spiritum, caput mort. putrefac, donec sal natura eleuetur, reliquum solve in spiritu, sub dio fiant crystalli, caput mortuum calcina, cum phlegmate sal extrahe, è quo cum filicibus fiat spiritus, affund. minerae Auri, extrahe primum Ens, spiritum istum primo ente imprægnatum, superfunde corpori auri, putrefac, eleva, abstrahe aqv. residuum cum prioribus cry-

„crystallis coaguletur. Ubi notandum, quod pri-  
 „mum ens auri solum sine sulphure auri non recte  
 „coaguletur, vel

„Recipe *Terram unctuosam nigram in principio*  
 „*veris effoss.* ad medietat. viri sine admixtione vege-  
 „tabilium, destill. per retortam spirit cum oleo foetido,  
 „serva in phiol. longi colli per mens. in B. rorid. donec  
 „sal naturæ elevatum sit, separ. serv. in altera phiol. ne  
 „exhalet sal volatile, oleum separ. & remov. Spirit.  
 „rectific. *Caput mortuum calcina, cum phlegm. sal ex-*  
 „*trahere, candefac, solv. coagul. decrepit.* part. j. cum par-  
 „tibus ij. iij. silicum, calcin., misc. destilla spirit., &  
 „oleum lente, dephlegma, sal vegetabile in primo  
 „spirit. rectific. solv. cumque æquali parte aquæ ex  
 „aëre solutæ misc. sub dio cælo sereno fiant crystall.  
 „usque in hyemem, aqv. evaporatam restitue nova,  
 „aqua ex aëre collecta, deinde in spiritum secundum,  
 „id est salis fixi in recipienti præpositum destilla spi-  
 „ritum ex minera solis continuo igne per octo dies  
 „à lateribus semper abluendo, menstruum hoc affund.  
 „mineræ resid. putref. per mens. & ultra solv. humid.  
 „abstrah. circa finem igne fortiore, urge astrum & se-  
 „men solis, ut instar rubini elevetur, cujus part. j.  
 „add. crystall. superior. astrificat. part. x. coq. ad  
 „perfection. multiplic. decies cum parte x. crystall.  
 „usque ad projectionem in infinitum, Vel

„Recipe *Terram nigram unctuosam, imbibe per*  
 „*totam astatem atque hyemem cum aqua pluviali, toni-*  
 „*truali, rore majali, nive, ut sal naturæ copiosissimum*  
 „*haberi possit* destill., per retort. spirit. oleum sal vo-  
 „latil. & fixum, cum oleo rectific. imbib. præcipita-  
 „tum aureum, & augmenta.

Sum-

Sumimus etiam *vas lapideum*, non ex quolibet lapide, sed ad regnum minerale potius accedente, ut *Bulla chii effoditur*, & formari curavimus rotundum, vel oblongum, in medio, aut magis superiori parte fissum, *infudimus vel rer. majal. vel aqu. nivis, vel pluvial. vel tonitrual., vel aërem coagulat, vel aliam materiam simplicem indeterminatam ad aliquod certum regnum, vase etiam prius per octo dies & noctes, toto immerso & humectato, implevimus, clausimus luto lapideo ferreis ligamentis circumdat.* huic vasi iterum talem pyxidem imposuimus, quæ est instar phar-  
 macopolar, è ligno quercin. bene ficcat. ad 2. spitham. altitud. & 1. spith. latitud. vel tantæ capacitatis, ne vas lapideum ad 3. digit. transvers. latitud. atting. cum fundo plano, instar orbis spiff. 2. digit. ut pyxis digiti transvers. 1. sicque ea inversa teximus vas. mandavimus terræ calore infuso, tempore brumali non æstivali, plura etiam vasa abscondimus, ut singulis mensibus unum aperire, & videre potuerimus naturam operantem per colores usque ad rubedinem, ubi ex materia universali universale observavimus, ex particulari particularia, ex vino & oleo oliv. Balsamum opt. ex terebint. & musto uvar. maturarum, adque debitum tempus reservatis lapidem flavum, qui ad solem in rubrum liqvoem solvitur, & solvit folia auri. Sic terra *Hausensis in Hassia* quam figuli adhibent ad vitrificaturas suas continet Spiritum qui omnia metalla solvit.

*Sal Centrale autem terra acquiritur in agris nigris & pingvibus pratis, quando materia attrahens & magnetica defoditur infra terram per duas ulnas in doliolo ligneo, mense Majo, ac deinde Terra vicinissima doliolo elixiviat in Sal vegetativum,*

Mis-

Misis reliquis experimentis, subjungimus statim præparationes experimenti XII. & experiment. XIII. sequentes :

### EXPERIMENTUM XII.

Experim. XII. Tilemann, „ **R**ecipe *Minera auri optima, rubra & pellucida,*  
 „ destilla per retortam Spiritus, qui sunt Azoth,  
 „ & Acetum destillatum Philosophorum, ex pro-  
 „ pria nimirum minera & corpore humidum radicale  
 „ aurum præparatum solvens, & instar magnetis essen-  
 „ tiam ad se trahens. Vel

„ Recipe *Mineram auri optimam & purissimam,* fiat  
 „ pulvis, sigilla hermetice, digere in Balneo vaporoso,  
 „ donec rosa alba & rubra efflorescat, quas in lecto debi-  
 „ te conjunge, ut edant partum regiae dignitatis. Vel

„ Recipe *Mineram auri immaturi ex Transylvania,*  
 „ aut aliunde. Confringe in frustra instar fabarum,  
 „ digere per 14. dies in balneo, fiet instar roris in vitro  
 „ pellucidi, apposito alembico destilla gradatim in are-  
 „ na, fiat aqua ponderosa, affunde facibus, destilla  
 „ iterum, idque ter, digere octo dies in igne vaporoso,  
 „ separa phlegma in leni Balneo, ut in fundo rema-  
 „ neat aqua caerulea.

### EXPERIMENTUM XIII.

Experim. XIII. Tilemann, „ **R**ecipe *aurum Ungaricum optimum* ter per anti-  
 „ monium purgatum, finissimum, *subtiliter la-*  
 „ *minatum, cum argento vivo amalgamatum, cum*  
 „ *floribus sulphuris calcinatum, & à Spiritu vini accenso*  
 „ *in crocum purpureum redactum,* cujus part. i. adde  
 „ antecedentis materiae rubrae part. ij. tere per inte-  
 „ gram horam super marmore calido, & in igne cir-  
 „ culari per tres horas graduatim cementa & calcina,  
 „ idque ter repetendo, *affunde denique sp. vin. rectifi-*  
 „ *catis-*

*catifs.* ad super eminentiam trium digitorum, dige-  
re in leni calore per 6. dies & extrahe rubed. omnem,  
hancque in phiola hermetice sigillata per 40. dies,  
circula in aurum potabile. Vel

Recipe. *Aurum suo spiritu adhuc dotatum*, è,  
minera separatum, non per ignem, nec Mercurium,  
sed malleum, nec aëri, nec calori expositum, sed in  
vesica probe clausa ad laborator. delatum, limatum,  
sed ne incalescat, destilla in retorta vitrea cum collo  
angusto incurvato duar. spitamar. longitud. bene  
lutata cum recipiente ex arena, ut eliciatur spir. vel  
fumus albus cum guttulis, refrigerato vase statim  
exime cum penna, vel instrumento aureo ne solva-  
tur, ex Marca auri habentur circiter drach. 5. Re-  
manens aur. per antimon. purgatum sine damno bo-  
num est, vel ad fermentum usurpari potest. Spi-  
ritum reservatum autem in phiola hermetice sigil-  
lata per. 6. hebdomadas, ignisque gradus fixabis in  
Mercurium philosophorum rubrum, dulcissimum,  
cui adde mercurii virginei è minera part. vj. ad  
part. j. coque in ovo philosophico ad tertiam vel  
quartam partem vacuo, bene sigillato in rubed. ex-  
trahe cum Sp. vin. abstrahe ad gummatis consisten-  
tiam, cujus pars j. convertit part. x. auri in tinctu-  
ram, quæ multiplicatur ante fermentationem cum  
auro si primo novus Mercurius virgineus addatur,  
utraqve coagulentur, extrahantur cum Spir. vin. &  
denique super aurum projiciantur. Vel

Recipe. *Sacchari candidi electi, salis albisimi ex-*  
*siccati* ana. q.v. affunde *spir. vin. ter rectificati* ad emi-  
nentiam trium digitorum, putrefac in leni Balneo,  
per octo dies, quotidie ter, vel. 4. circumagitando de-  
inde singulis libris pulverum superiorum adde tan-  
tum,

K

tum,

„tum filicum alb. in furno laterum calcinat. destilla  
 „primo. spirit. vini. 2. fortius spiritus reliquos, qui  
 „solvunt laminas, vel calcem auri prius per 6. horas.  
 „candefact. non autem liquat circul. per 14. dies de-  
 „stillata, per alembic. sang. coloris.

§. V.

Progredimur nunc ad aliorum experientissimo-  
 rum Chemicorum ac Medicorum auri potabilis præ-  
 parationes, nempe *Aurum potabile Quercetano Aurum*  
*vita* dictum ex *Schroederi Pharmacop.*

Aliud per  
 saccharum  
 Saturni &  
 Spir. Vini  
 alcolifä-  
 tum,  
 „(1) Calcina Solem laminatum per cementat. (cum  
 „Sale nitro) & reverbera. (2) Cementa per Sacha-  
 „rum Saturni, super hac mixtura accende aliquo-  
 „ties Spiritum vini alcolifatum. Relictam mate-  
 „riam circula (dies noctesque 14.) cum Spiritu vini  
 „alcolifato abstrahe, & affundendo novum Spiritum  
 „vini alcolifat: iterum circula & abstrahe, idque  
 „repete, donec tota Auri substantia per Alembicum  
 „efferatur. Separato menstruo remanebit Aurum  
 „vitæ præstantissimum infundo. *Quercetan. Sala.*

§. VI.

Aliud, per  
 acetum  
 destilla-  
 tum,  
*Aliud ejusdem Quercetani Aurum vita est seqv.*  
 „Ex calce Auri levisima & spongiosa elice Tincturam,  
 „digerendo in Balneo Mariæ per acetum destillatum.  
 „Tincturam hanc exalta, circulando cum Spiritu  
 „Vini.

§. VII.

Aliud, per  
 butyrum  
 antimonii,  
*Aliud, per butyrum antimonii ex Schroedero sic*  
 „paratur: R. Calcin. Sol. reverberat, conjunge cum,  
 „Oleo antimonii glaciali rectificato, digerendoque per  
 „mensum extrahe tincturam rubicundam: quod si illud  
 „oleum vicissim, seu secunda vice destilletur, aurum ele-



elevatur, in Spiritum vini solubilem, & hoc est aurum, portabile.

§. VIII.

*Aliud, per spiritum nitri bezoardicum ex Eodem:* <sup>Aliud, per</sup>  
 ℞. Aurum foliat. ac calcinat. solve in Spiritu Sal. nit. <sup>spir. nitr.</sup>  
 Bezoardico rubicundo, abstrahetque menstruum calo- <sup>bezoardi-</sup>  
 re lenissimo, ( ne spiritus nimium prodeant ) per <sup>eum,</sup>  
 alembicum, vel phiolam oblongioris colli, usque ad  
 pelliculam seu oleositatem. Hinc recens rubicundum,  
 menstruum affunde, solve, abstrahet, similiter proce-  
 dendo tertia vel quarta vice. Tandem hæc ipsa solu-  
 tio Auri ex retorta igni fortiori destillatur, ut & Spi-  
 ritus prodeant, quos affunde, iterum cohobando, do-  
 nec ipsum aurum rubicundum instar rubini apparu-  
 erit.

§. IX.

*Aliud, per oleum Saturni ex Eodem:* ℞. Calc. Auri <sup>Aliud, per</sup>  
 ( per aquam Regiam vel argentum Vivum &c. ) cir- <sup>oleum Sa-</sup>  
 cula aliquot dies, cum Oleo Saturni flavo; sic com- <sup>turni,</sup>  
 pagem Auri in liqvore solutam videbis.

§. X.

*Aliud, per spiritum salis communis ex Eodem:* <sup>Aliud, per</sup>  
 ℞. Calcis Auri ( Solutionem solis in Aqua Regia Ba- <sup>spiritum</sup>  
 filii præcipit. cum Argento vivo ) q. v. affunde spirit. <sup>salis</sup>  
 Salis com. rectificat. digerendo extrahe tincturam, <sup>comm.</sup>  
 corpore Auri albo remanente in fundo ( quod est re-  
 ducibile in Argentum fixum ) tincturam exalta cum  
 Spiritu Vini circulando, totiesque cohobando, donec  
 cum spiritu vini per alembicum deducatur. *Kesler.*

§. XI.

*Aliud, per essentiam salis communis ex Eodem:* <sup>Aliud, per</sup>  
 ℞. Aurum optime calcinat. ( per Amalgama &c. ) Af- <sup>essentiam</sup>  
<sup>salis</sup>  
 fun- <sup>comm.</sup>

„funde Quintam Essentiam seu Oleum ( Balsamum )  
 „Sal. com. ac extrahe ( solve ) s. a. Decantatis extra-  
 „ctionibus ( solutionibus ) affunde Spiritum Vini optim.  
 „rectificat. Sic Spiritus Vini animam Solis ad se trahet,  
 „relicta Essentia Sal. com. infundo, quam separa-  
 „Tincturam Auri in Balneo Mariæ à Spiritu Vini li-  
 „bera. *Sala de Auro potabili.*

## §. XII.

Aliud, per  
 spiritum  
 salis com-  
 munis.

*Aliud Billichii per spiritum salis comm. ex Eodem :*  
 „R. (1) Calcina cum Aqva Regia ac præcipita. (2)  
 „Reverbera cum floribus Sulph. & Argento vivo, ut  
 „evadat pulvis instar boli armen. (3) Solve cum Spi-  
 „ritu Vini rectificatiss. digerendo ac cohobando multo-  
 „ties ( 20. & ultra ) dein coagula abstrahendo. (4)  
 „Solve in Spirit. Sal. com. digere dies aliquot (3) hinc  
 „abstrahe.

## §. XIII.

Aliud, per  
 spiritum  
 salis com-  
 munis tar-  
 tarisatum.

*Aliud, per spiritum salis comm. tartarisat. ex Eodem :*  
 „Fiat Amalgama ℥j. Auri cum ℥vj. Argenti vivi,  
 „more vulg. superfluum Argentum vivum per corium  
 „exprime, globulum restantem tere cum ana Sal.  
 „Com. fusi, fac evaporare Argentum vivum, medio-  
 „cri igne, falem abluere aqva calida, calcem Auri tere  
 „fortiter cum ℥iij. Cinnabaris communis, pone in te-  
 „gula fulminatoria ( einer Treibscherven ) cooperta  
 „cum foramine, cementa per 3. horas ad totalem usque  
 „cinnabaris evaporationem, idque cementationis opus  
 „5. aut 6. cum pari quantitate novi cinnabaris reitera  
 „donec sc. Aurum in spongiam rubicundam attollatur.  
 „(2) Extrahatur Tinctura per seq. Menstruum : R.  
 „Spiritus Sal. com. Tartari parati ( ut indicabitur cap.  
 „de Tartaro vini ) part. j. Spiritus Vini part. xij.  
 „De stilla simul ex cucurb. Hunc Spiritum Vini Tar-  
 tari.

tarisatum affunde calci sive floribus Auri sublimatis,  
& tingetur rubro colore, abstrahe Spiritum Vini, re-  
manebit pulvis coccineus, cujus vires innumeræ.

§. XIV.

*Aliud, per oleum sulphuris ex Eodem :* ℞. Calcis, <sup>Aliud, per</sup>  
Auri q. v. affunde oleum Sulphur. p. c. ad emin- <sup>oleum sul-</sup>  
tiam, digit. 7. abstrahe, cohobando aliquoties, donec, <sup>phuris.</sup>  
Aurum solvatur. Solutum tandem Auri affunde Spiri-  
tum Vini rectificatis. ad emin. dig. 4. Oleo Sulphu-  
ris non separato. Digere septim. (6) Hinc abstrahe,  
per alembicum Spiritum Vini, idque reitera, donec,  
Aurum per alembicum elevetur. Hoc facto abstra-  
hatur lenissime Spiritus Vini, ut maneat infundo li-  
quor rubicundus.

§. XV.

*Aliud, per spiritum manna ex Eodem :* ℞. Calc., <sup>Aliud, per,</sup>  
Auri fulminantem, redige in flores per peculiare, <sup>spiritum</sup>  
aliquot instrumentum argenteum deauratum. Ex, <sup>mannæ,</sup>  
floribus extrahe tincturam, cum Spiritu mannae, ab- <sup>liquor</sup>  
strahe ad consistentiam pro libitu.

§. XVI.

*Aliud, per spiritus vitrioli volatilem, & vini tar-* <sup>Aliud, per</sup>  
*tarisatum, ex Eodem :* ℞. Auri fulminantis probeedul- <sup>spiritus ;</sup>  
cor. part. j. Spiritus Vitrioli volatilis part. iv. (sunt, <sup>vitrioli</sup>  
qui oleum Spiritus Vitrioli causticum, in quo salis, <sup>volatilem,</sup>  
proprii pars 3. resoluta sit, adhibent, sed tale men- <sup>& vini tar-</sup>  
struum naturæ nostræ inimicum est.) Digerantur in, <sup>tarisatum,</sup>  
Balneo tepenti per 40. dies. Tinctum Spiritum rubi-  
cundissimum & clarum separa per inclinationem, ab-  
strahe ad siccitatem, affunde Spiritum Vini, è vino,  
Hispanico factum & Tartarisatum, & in calore lenif-  
simo fiat extractio instar Rubini, tinctos Spiritus de-  
stillata & ad aliquam consistentiam redige, vel pulveris,  
for-

formam quem etiam à sapore Spiritus Vini poteris  
 eluere aqv. still. vel dissolvere in quocunqve liqore  
 appropriato. Nota: Si desit Spiritus Vitrioli volati-  
 lis, tunc ejus loco Menstruum excellentissimum sub-  
 stitue. ℞. Sal. communis Libr. i. Sal nitri ℥vj.  
 destilla s. a. ℞. Hujus aqv. fortis part. iij. Spiritus  
 Vini tantundem infunde Spiritum Vini in magna cu-  
 curbita, quam statim occludes alembico suo, ebulli-  
 unt enim illico commixti Spiritus & flavescunt, de-  
 inde durante ebullitione rubedinem acquirunt, tan-  
 dem eadem cessante menstruum subviride evadit, quod  
 quidem nil peculiare possidet, nisi quod illius acredo  
 facili negotio ab auro soluto elevatur, id quod adhi-  
 bitis aliis aqvis Regiis fieri non potest.

## §. XVII.

Aurum  
 potabile  
 Francisci  
 Antonii.

Aurum potabile Anglicum *Francisci Antonii*, ex  
*Hartmanno*. Primum dissolvatur Aurum purissimum  
 in aqua regis s. a. (Aqua Regis fit ex aquæ fortis  
 lib. una & salis Ammoniaci, unciis quatuor, simul  
 per retortam in arena distillatis) Solutionem claram  
 in capax vitrum effunde, quod sit colli amplioris, &  
 guttatim infunde oleum tartari per deliquium factum,  
 donec aqua Regis clara & alba evadat. Hoc signum  
 cum apparet, calcem totam ad fundum descendisse,  
 certum est. Sine quiescere per diem, & mane, li-  
 quore ablato, calcem quater vel quinqvies aqua com-  
 muni ablue, eamque lenissimo igne exsicca. Cave  
 autem, ne calor sit excedens. Quam primum enim  
 ignis calorem sentit calx, statim concipit flammam &  
 in auras abit. Quare tutius est, in hypocausto vel  
 aëre tantum exsiccare, diligenter spatula lignea agi-  
 tando. Calci adde dimidiam partem sulphuris pul-  
 verati, & simul misce, & in crucibulo per ignem pa-  
 tentem

tentem sulphur deflagrare permitte, adhibendo in prin-  
 cigio ignem lentum, & in fine per horam fortisfi-  
 mum, ut calx quodammodo reverberetur, & tenuif-  
 sima evadat, quam in phiala, optime clausa ad usum  
 serva. Jam fiat *Spiritus urinae*. ℞. Hominis sani,  
 vinum bibentis, urinam, q. v. modice in cucurbita,  
 bene clausa in fimo eqvino, vel alio loco calido per  
 quadraginta dies digere. Putrefactione facta, distille-  
 tur urina ex arena per alembicum, adhibito recipiente  
 satis amplo, donec omnis humiditas destillata fuerit.  
 Destillatum tertio rectificetur per cohobia à capite  
 mortuo, ut exinde postea spiritus iuste eleventur. Ex  
 phiala igitur longioris colli cum suo alembico & re-  
 cipiente, juncturis bene undiqvaque clausis, in arena  
 fiat destillatio, & elevabitur spiritus instar crystalli in  
 alembicum, nulla concomitante aqvea humiditate.  
 Hæc destillatio continuanda, donec omnes Spiritus  
 ascenderint. Quod sublimatione prodiit, aqua plui-  
 ali destillata solvitur, & ex phiala, ut prius destilla-  
 tur, idque sexies repetitur, semper novam aquam  
 pluvialem accipiendo. Hinc in phiala hermetice  
 clausa per quindecim dies reconduntur crystalli, &  
 digeruntur lento calore B. donec in liqvozem limpidif-  
 simum abeant. Huic liqvori additur æqvum pondus  
 Spir. Vini, ex bono vino facti & quam optime rectifi-  
 cati, & simul in B. per duodecim dies digerantur &  
 uniantur. Dein ℞. Calcem solis, & ei affunde men-  
 strui è Spiritu Vini & urinæ facti, ut tres digitos emi-  
 neat, in lento calore digere, donec sangvinis instar  
 rubicundum evadat. Tinctura decantata & sæpius  
 collecta in B. per dies Octo, ad duplo plures, digeri-  
 tur, hinc lenissimo calore Spiritus solvens abstrahi-  
 tur, adhuc semel cohobandus. Hinc remanet sal in  
 fundo

„fundo cucurbitæ, in forma rubicundissimi olei, sva-  
 „vem de se odorem spargens & in quolibet liqore re-  
 „solubilis. Propterea hoc oleum Solis, veri succeda-  
 „neum esse potest. Eandem solutionem si non in B. sed  
 „arena distilles è retorta, post partem menstrui pri-  
 „mam, cum reliqua ejus per alembicum transit tinctu-  
 „ra Solis, rubicunda instar sanguinis, relicta in fundo  
 „vasis terra nigra, arida, spongiosa, levi. Ipsum au-  
 „tem menstruum, quod cum tinctura Solis prodiit, per  
 „B. tepidum separandum est, ut oleum Solis infundo  
 „restitans, seorsim asservari possit. Hoc est illud au-  
 „rum potabile, quod in Anglia habetur apud Franc.  
 „Antonium Medicum Londinensem, unde sæpius in  
 „Germaniam & alia loca allatum fuit. Cujus guttæ  
 „quatuor ad octo quocunqve etiam modo exhibitæ,  
 „vires mirifice reficiunt, atqve instaurant, & contra  
 „quemvis morbum agunt, plerumqve per sudorem  
 „evacuando licet nonnunquam per singula emunctoria  
 „noxia expellant.

§. XVIII.

Aliud An-  
 glicum,

„Aliud ejusdem Autoris ex Schroedero est seqv.  
 „Aurum purgetur, (bis) per antimonium. Hinc cal-  
 „cineretur cum Mercurio & Sulphure, extrahaturqve cum  
 „sulphure Saturni.

§. XIX.

Aliud ex  
 Hartman-  
 no,

„Alius modus ex Hartmanno. Aurum laminatum  
 „in spiritu salis solve, & abstrahe menstruum, remane-  
 „bit calx infundo. Cui affunde aliud menstruum, ex  
 „spiritu vini optime rectificato & sale urinæ paratum  
 „per digestionem quindecim dierum. A quo aurum  
 „ita solvitur, ut per alembicum cum menstruo simul  
 „destillari possit in arena. Facta destillatione men-  
 „stru.

struum leni B, calore separetur, tinctura Solis in fundo,,  
remanente.

§. XX.

*Auri potabilis* præparatio ex *Mynsichto* sic se habet: Aurum,  
potabile  
Mynsichtu,  
R. Aurum Hungaricum, apprimè per stibium & ful-  
men præparatum, sine illud in tenuissimam laminam  
per aurifabrum duci, postmodum resolve per bonum  
& optimè rectificatum salis oleum, veris solummodo,  
Chymicis notum, & post solutionem illud per alembi-  
cum abstrahe, tunc in fundo flavissimam solis calcem  
reperis. Hanc recipe, & vasi vitreo inde, & tantum  
olei Cinnamomi suffunde, ut fiat mixtura pulti simil-  
lima, & in puncto materiam nigrescere & effervesce-  
re videbis: tunc habe ad manus bonum vini spiritum,  
singulariter rectificatum, & à tartaro Sophorum im-  
prægnatum de illo aliquantum suffunde super eandem  
materiam, usque ad latam minoris digiti eminentiam,  
& continuo spiritus extrahet Solis animam pulcherri-  
mam & auro simillimam, & quando pro quantitate,  
mensuræ nihil magis accrescit tincturæ, tunc Spiri-  
tum tinctum effunde, & alium recentem infunde, &  
hunc laborem toties repete, donec spiritus tingendi  
virtute destituatur. Remanentem Solis calcem resol-  
ve denuo à novo, recenti Salis oleo, & procede, ut  
prima vice, repetendo & continuando usque dum re  
solvatur totum corpus, & fiat liqvor potabilis: post  
id circulatur hic liqvor Solis Aromaticus, ut acrimo-  
nia ol. salis evanescat, quæ ipsa tamen vel relicta cum  
Spiritu Vini profecto nihil nocet. Et hæc est prima  
solutio facta absque corrosivis, quæ in æternum à ne-  
mine potest in aurum naturale reduci.

L

§. XXI.

## §. XXI.

Aliud,  
Schræde-  
ro oleum  
auri voca-  
sum.

Aliud aurum potabile, sub nomine olei auri  
Schræderi refert Jungkenius Chym. experim. p. 361. seq.  
Elixivieturè terra pingvi (v. g. marga) saporem sal-  
sum præ se ferente, super quam crescit trifolium &  
similes herbæ pingves, non profunde in terra existente,  
ut sic spiritu Mundi eo melius fit imprægnata, Sal,  
aqua pluviæ mariali, & evaporatione inspissetur, ac  
purificetur, aliquoties solvendo. Ex hoc Sale formen-  
tur globuli, cum terra pingvi, destilleturque spiritus per  
retortam, & spiritus egressus, rectificetur. Hinc  
elixivietur Sal è capite mortuo, ejusque pars addatur  
spiritui rectificato. Sic habes menstruum, quod solvit  
aurum foliatum. Spiritum dictum superaffande Auro  
foliato, stet ita aliquandiu, ut solutio penitus per-  
agatur, attrahaturque sal ex aëre (quo diutius stare  
permittitur eo melius est). Tandem abstrahè aliquoties  
spiritum Vini rectificatum, modico Salis Urine volatilis  
acuatum, vel spiritu Salis armoniaci, stet ita aliquan-  
diu, & menstruum colorabitur, ac supernabit.  
Oleum rubicundum, quod per Balneum Mariæ abstra-  
hatur, & separetur à menstruo. Si hæc operatio in-  
stituitur Mense Martio, ubi spiritus mundi in macro-  
cosmo maxime viget, & vegetat, erit eo efficacior.

## §. XXII.

Aliud  
Clauderi.

Aliud Clauderi ex eodem Jungkenio p. 366. R. Foliorum  
auri finissimi, per Antimonium purificati, q. l. five un-  
ciam unam: adde Fuliginis Splendentis è furno uncias  
duas, terantur in mortario lapideo, per unum aut  
alterum diem, & quo diutius continuatur tritura, eo  
melius erit, quia sic incalescunt mixta, & ita Sal Fuli-  
ginis potentius penetrat particulas Auri resolvendas, insi-  
mul-



mulque *Sal Aëris* ab incalescentia attrahitur. Postea,,  
 super affundatur *Essentia è fuligine, quam Alexipharma-*,  
*cam vocavi*, ad eminentiam duorum digitorum in,,  
 vitro probè clauso, aliquoties agitando; maneant,,  
 vero ita aliquot septimanis, ut virtus salina sese magis,,  
 magisque uniat Auro resoluto, ac illud absorbeat;,,  
 Tunc addatur adhuc totidem *Fuliginis pulverisata splen-*,  
*dentis. q. f.* ad deglutendam humiditatem. Dehinc,,  
 immittatur crucibulo optimè munito, impona,,  
 turque fornaci figulinæ, ut per violentum hunc,,  
 ce ac durum calcinationis actualis cuneum, du,,  
 rus ille & ferè *Gordius Solis nodus* aperiatur. Exem,,  
 ptæ *Massæ calcinatæ*, affundatur denuo *Essentia Ale-*,  
*ximarpharmaca*, q. f. ad eminentiam 2. vel 3. digito,,  
 rum, relinquaturque sic per tempus *pro connubio eo-*,  
*firmiore stabiliendo*, & tandem filtreretur per chartam.,"

§. XXIII.

*Aliud*, autore *Febure*, est sequens: *Rz. Auri per*, Aliud Fe-  
bure,  
*Antimonium fusi & in tenues lamellas diducti ℥β. im*,  
 mittantur hæ cucurbitæ vitreæ, addanturque *Nitri*,  
*purissimi, Aluminis, ana ℥x. Salis communis purissimi ℥v.*,  
 affunde his *Aquæ pluvia destillata ℞. v.* tum vitro in,,  
 arena posito coquantur, donec omnia cum Auro,,  
 soluta sint, id quod color *Aquæ flavus* indicat, neque,,  
 Aurum infundo resideat, tum sensim aquam exhalari,,  
 permitte, ad siccitatem usque, sic in fundo relinqui,,  
 tur *massa salina*, cum Auro in ea disperso & dila,,  
 tato. *Hanc massam contere in pulverem*, huncque,,  
 phiolæ immitte, eiqve super affunde *Alcohol vini*,  
*ut tres latos digitos emineat*: Phiolam probe occlu,,  
 sam calore cinerum digere, & intra breve tempus,,  
 tres videlicet dies, tingetur Spiritus; hic tinctus fil,,  
 tretur, & recens affundatur, ac, ut ab initio, digera,,  
 tur:,"

„tur: *Et labor hic ter vel quater reiteretur, donec nul-*  
 „*lum alcohol vini amplius tingi velit; quo facto omnem*  
 „*spiritum tinctum, & filtratum cucurbitæ recenti*  
 „*immitte, & in M. B. tres spiritus partes abstrahe,*  
 „*sic in fundo remanebit Aurum, potabile factum, & in*  
 „*tantum reclusum, ut corpori humano applicatum vi-*  
 „*res satis conspicuas exferat; id quod gustus saltem*  
 „*denotare videtur, austeritate astrictiva aliqualiter,*  
 „*conspicuus. Dosis ejus à guttis v. ad x.*

§. XXIV.

Aliud ex  
Jungke-  
nio.

*Aliud ex Exp.<sup>mi</sup> Jungkenii Chym. exper. p. 368.*  
 „*Rz. Salis urina volatilis ex recenti urina inspissata,*  
 „*destillati, nec non Salis Urina fixi, ex ejusdem Urinæ*  
 „*inspissatæ, & in Sal volatile destillatæ, remanentia*  
 „*facti, ana ꝑ̄ iiij. Spiritus Urina volatilis ex urina prius*  
 „*putrefacta destillati & rectificati ꝑ̄ j. Hac commixta,*  
 „*destillentur ex phiola, vel cucurbita prealta, repetitis*  
 „*cohobis, donec omnia probe unita ascendant.*  
 „*Spiritui huic adde æquale pondus Spir. Vini rectificati &*  
 „*alcolisati; ac circulando uniantur; Sic paratum ha-*  
 „*bebis menstruum, mediante quo, ex rite facta Auri*  
 „*calce vel croco, extrahes Tincturam Auri non ineffica-*  
 „*cem, solventis saltem ratione, quippe hoc in spirituum*  
 „*vel nervorum aut cerebri morbis egregiam præstat*  
 „*operam. Dosi gutt. xx, vel xxx, & ultra, cum vehi-*  
 „*culo idoneo.*

§. XXV.

Tinctura  
Auri  
Zwelfferi.

„*Tinctura Auri Zwelfferi Mant. Sp. p. l. c. l. est sequens:*  
 „*Solve Aurum cum Spiritu Salis, à phlegmate tantum*  
 „*liberato, non totaliter rectificato, ne separetur sal*  
 „*essentialis. Ab Auro soluto evoca menstruum per*  
 „*Balneum Mariæ. Auri residuo affunde recens men-*  
 „*stru-*

struum, seu Spiritum Salis iterumque abstrahe, idque  
 ter quaterve, dum videris Aurum ad latera cucurbitæ  
 elevari: tunc redde residuo in cucurbita Auro tantum  
 de destillato liqvore, ut dissolvatur, atque commo-  
 de transfundi possit in cornutam, seu parvam retor-  
 tam, cumque adaptato recipiente, & juncturis luto,  
 probè munitis. primò igne arenæ leni, fortiori post-  
 modum, urge; dum cum liqvore transeat, quantum  
 Auri dissolutum aut volatilizatum fuerit. Aurum re-  
 siduum à destillatione in retorta, rursus eadem operâ  
 solvatur, & ab eo Spiritus Salis recens abstrahatur,  
 donec totaliter, vel maxima parte discontinuatum,  
 transierit. Ab hoc liqvore aureo, per Mariæ Balneum  
 separa de menstruo id, quod rarius est, ut remaneat  
 liqvor crassus: cui instillabis Spiritum Vini Spiritu  
 sicco Urinæ animatum, & præcipitabitur corpus Auri,  
 instar calcis albæ. Quando nihil amplius cadit, fun-  
 dumque petit, sine calcem residere, ut per inclinatio-  
 nem liqvorem decantare possis; ab hocque Spiritum  
 vini destillatione leni separa, & novum Spiritum ani-  
 matum liqvori instilla, ut & residuum corpus Auri  
 præcipitetur. Tunc separatâ calce præcipitata, inde  
 liqvorem cucurbitæ vitreæ, & calore cinerum seu,  
 arenæ lenissimo destilla, donec striæ spiritus vini ad,  
 latera cucurbitæ appareant rubicundæ. Nam signum  
 est, unum altero, seu spiritum sulphure, secundum  
 appetitum naturæ, esse satiatum. Sicque Tinctura,  
 sive essentia Auri in fundo cucurbitæ rubicundissima  
 apparebit, magnarum virium; quæ addito pauxillo,  
 spiritus vini, è vitro seu cucurbita saltem eluenda,  
 ne quicquam de illa pereat, aut lateribus cucurbitæ  
 in effusione, inutiliter agglutinatum in residuo hæ-  
 rens maneat. Servetur, tanquam pretiosissimum.

„medicamentum, in morbis omnibus desperatis, sub  
 „dosi trium vel quatuor guttularum in uno vel altero  
 „cochleari vini, vel alio appropriato vehiculo, exhi-  
 „bendum. Notandum: quod apparentibus striis ru-  
 „bris, si in retorta ultima destillatio institueretur, tota  
 „anima, sive Sulphur Solis, seu Tinctura, verum pau-  
 „cissima in quantitate (aliquot saltem guttularum, quæ  
 „ipsæ tamen non parum spiritus vini præpositi rubi-  
 „cundissimo colore imbuerent) transiret, & in spiri-  
 „tum vini necessario præponendum stillaret. Ast cum  
 „Tinctura hæc sit pretiosa, atque de ea lateribus vitri  
 „multum adhæsurum, quod propter exilem quantita-  
 „tem sui, in vas recipiens præpositum transire vix  
 „posset, consultius est, ut destillatio in alembico insti-  
 „tuatur, & apparentibus striis rubris, à destillatione  
 „statim desistatur, quo residuum sulphur, seu anima  
 „Solis, rectificatissimi spiritus Vini particula dilui,  
 „aut potius elui queat, aut sine ulteriore destillatione  
 „usui asservari. Nam sulphur, seu Tinctura Solis per se  
 „in Medicinam non cederet utiliter ob summam sui  
 „activitatem, nisi proportionato vini spiritui sit unita.

auri pota-  
 bilis aug-  
 mentatio.

Augmentatur quoque Tinctura auri oleis Martis,  
 „Veneris, Antimonii, Vitrioli, &c. Sic etiam fit incre-  
 „mentum *Tinctura Auri* per Regulum Antimonii puris-  
 „simum, Soli junctum, digestum, & Spiritu Salis, vel  
 „Veneris, extractum, utpote: ℞. Auri purissimi ℥β.  
 „Regul. Antimonii stellati ℥iv. Liqvesiant in crucibulo  
 „igne forti, liqvesacta, effundantur, inque pulverem  
 „subtilem redacta, eo usque in arena calcinentur, do-  
 „nec rubedine perfundantur, vel in pulverem rubrum  
 „convertantur. Hoc ex pulvere, menstruo supra dicto,  
 „spiritu nimirum Salis, vel Veneris, Tinctura elegans  
 „elicitur; quæ tandem, cum spiritu vini animato ira-  
 „ela-

elaboranda est, ut cedat in Essentiam five arcanum, præstantissimum. Augmentationes enim Tincturæ, Solis per Sulphura Solaria, ex Marcasitis, Antimonio, Marte, Venere, sunt veluti transplantationes, seu insitiones; non aliter, ac si ramus nobilioris arboris, ejusque fructiferæ, ignobiliori trunco, seu arbori infœcundæ, inseratur. Sic aurificatur Spiritus Vini Martis vel Veneris per sulphur ex Marcasitis Solaribus, communi modo, per aquam Regiam saltem, extractum. Si Spiritus quatuor partes sulphuris uni parti affusæ, horis xxiiij. vel duabus diebus, digerantur, efficiuntur Crystalli Rubinis similes, qui Spiritu Vini rectificato porro extracti, in Panaceam abeunt, non aspernendam.

§. XXVI.

Aliam talem *essentia auri* descriptionem idem *Zwvelfferus* nobis cit. tr. suppeditat sequentem: ℞. Auri purifs. Antimon. purgati ℥ij. solvantur in Spiritus Salis opt. rectificati suff. q. quoad totaliter solutum sit. Solutioni huic infunde guttatim Spiritus Microcosmi, seu salis microcosmi veri, id est, Urinæ, debite parati, quousque strepitus non audiatur, isque totaliter cesset. Solutio hæc, unâ cum præcipitato Auro immittatur alembico vitreo, & per Mariæ Balneum destillando abstrahatur tota humiditas; quæ insipida erit: quo facto, collocetur cucurbita cum residuo sale & Auro in Arenam deturque ignis per gradus, donec sublimetur tota illa salina substantia, aurum secum elevans ad capitellum. Peracta sublimatione asservetur Sal iste sublimatus; cui potior pars Auri soluti essentialiter inhæret, in vitro probe clauso. Aurum vero à sublimatione prima relictum, ac remanens, novo denuo solvatur Spiritu Salis, ac pari modo cum Sale, vel

Alia  
Zwvelfferi  
fieri,

„vel Spiritu Siccò Urinæ præcipitetur, & evocatâ,  
 „destillationis medio, humiditate aquea, in Mariæ Bal-  
 „neo residuum igne arenæ sublimetur, & quidem  
 „ultimo forti, ut cucurbita inferius candeat. Atque  
 „hæc solutio Auri à sublimationibus residui, eademque  
 „præcipitatio, humiditatisque abstractio, & salis sub-  
 „limatio (evehenti secum aurum) tot iteranda est  
 „vicibus, usque dum integrum fere Aurum volatilifa-  
 „tum & spirituale factum fuerit. Hinc sublimatus sal  
 „omnis, affusa suff. quant. aquæ simplicis solvatur, ut  
 „Aurum denuo ab adjuncto sale liberetur; pulvisculus  
 „vero Solaris, fundum petens, probe edulcoretur.  
 „Ex hoc tandem edulcorato pulvisculo Auri beneficio  
 „spiritûs vini ad summum rectificati, sale tamen, vel  
 „Spiritu microcosmi animati, extrahatur Tinctura  
 „iterato, quousque nihil amplius de tinctura conspici-  
 „atur. Tincti spiritûs omnes & junctim in Mariæ Bal-  
 „neo ad oleitatem abstrahantur, ut liquor rubicun-  
 „dus remaneat, pretiosus, qui asservandus, ac morbis  
 „deploratis opponendus.

§. XXVII.

Aurum potabile Basilii Valentini,  
 Agmen harum præparationum tandem claudant  
 „illæ Basilii Valentini ex Schrædero sequentes: R. Au-  
 „ri per amalgama calcinati part. j. solve digerendo  
 „in aqua regia ammoniacata (vide in sale nitro aquam  
 „regiam Basilii) vel in aqua regia salina, (id est sale  
 „communi acuata) part. iij. hinc depleatur solutio, re-  
 „stitantique solis calci denuo aqua illa solvens affunda-  
 „tur &c. donec penitus soluta calx sit; Solutiones di-  
 „gere in Mariæ Balneo, ut subsideant feces, quas se-  
 „para. Solutionem defecatam digere iterum in Mariæ  
 „Balneo dies noctesque ix. Hinc abstrahe aquam  
 „regiam ad oleitatem, abstractam aquam affunde vicis-  
 „sim,

sim, imprænaque calcem cohobationibus tantisper  
 repetitis, donec liquor fere insipidus extillarit. Tum  
 affunde novam aquam regiam, imprænaque denuo,  
 ut dictum, in arena, idque tantisper, donec aurum  
 per alembicum penitus transportatum sit. (Nota: cum  
*singulis destillationibus ignis est augendus.*) Tandem,  
 abstrahere per Mariæ Balneum ad oleitatem, repona-  
 turque ad crySTALLISANDUM SEC. ARTEM. Hinc ꝑ. cry-  
 stallorum Solis part. j. mercurii vivi purgati part. iij.  
 agitato optime, sic apparebunt colores, subsidebitque  
 amalgama. Exhalet mercurius & restabit pulvis  
 Solis purpureus in aceto destillato solubilis, qui tingit,  
 subito, instar sanguinis. Ex hoc pulvere extrahe sec. ar-  
 tem tincturam rubicundam cum spiritu vini, qui cum  
 spiritu salis communis mixtus & dulcificatus sit (vide  
 spir. sal. comm. dulcem, ac aquam temperatam Basil.  
 in spiritu vini) donec menstruum ulterius non figa-  
 tur, & corpus album reliquum sit.

Paulo secus ex manuscripto testamento *Basilii  
 Schraderus* Tincturam hanc sequentibus exhibet:  
 (1) Purga aurum per antimonium. (2) Calcina,  
 id est, solve purgatum aurum in aqua regia, coa-  
 gulaque. (3) Volatilisa cum spiritu salis communis  
 acuato, per spiritum draconis (salis ammoniaci) vide  
 supra. (4) Præcipita cum oleo tartari, vel quod me-  
 lius, per abstractionem lentam. (5) Reverbera cum  
 floribus tartari (vide supra) (6) Extrahe tart. Solis,  
 per spiritum vini igneum, & spiritum salis communis.  
 (7) Digere extractum sulphuris & solve denuo in mer-  
 curio philosophorum, vel in aqua regia dicta. (8)  
 Volatilisa cum spiritu vini.

Ex hisce usque huc allatis præparationibus patet, quantum operæ collocaverint, & quos modos exco- gitaverint Dædali hi Chimici pro impetrandis auri tincturis, seu auris potabilibus. De his tenue nostrum iudicium subjungere cupientes, egregias condiciones afferentem vidimus *Experientissimum Ettmüllerum* in suo Commentario Ludoviciano p. 499. sequentia præcipientem. Justum iudicium de Solaribus ferre, volens tres condiciones ratione usus medici probe, consideret, quarum prima est, ut observet, an corpus solare magis vel minus sit reclusum, adeoque substantia ejus sulphurea extraversa. Secus enim aurum in corporali substantia est sine efficacia, aut si eam habet, nulla erit alia, nisi ut saturet alia acida se solventia, quod sane non impossibile, cum hypochondriaco-melancholici observati sint (teste *Moeglin* in scripto suo, *Aureum vellus* intitulato, in quo tincturam solarem ex terra solari parandam habet) globum ex auro deglutientes, successive absorbentes. Interim cum eundem scopum, nempe saturandi acidum peregrinum suppleant martialia, hinc non opus erit, ad solaria confugere. Adeo ergo genuina est *Paracelsi* epicrasis, primum dicentis gradum præparandi aurum, ita ut reddatur volatile, esse, reddere illud irreducibile. Secunda conditio observanda est, ut consideretur, quale menstruum, & quomodo adhibitum in præparatione solis fuerit; pro indole, namque menstrui, itemque pro apparenti hinc tinctura, præparationes & vires solarium variant, & tincturæ solares non tam ex sole, quam plerumque ex spiritu urinæ. salis &c. originem ducunt. Tandem tertia consideretur, nempe ipsorum menstruorum, a quibus

Ettmüllerii  
conditio-  
nes, pro  
iudicio de  
his feren-  
do,



quibus sol tractatur, ingressus in corpus solis, exque,,  
hoc emergens nova textura, novumque concretum,,  
quæ textura in causa est, ut solaris subinde vires pe-  
culiaries, distinctas à menstruorum pariter ac solis,  
viribus habeant, & nunc in corpus aluminosum trans-  
euntia styptica, nunc ratione salis, cum quo tracta-  
tum est aurum, laxantem, qualem & habet aurum,,  
fulminans, potestatem acquirant.

Quam Autor nominat efficaciam auri, saturandi  
acida, hanc in *Schrædero dilucidato* p. 231. exponit, &  
de metallis in genere inquit, quod illa passive sese  
habeant ad salia corrosiva, sive acida nostri corporis,  
quæ salia, aggrediendo metalla, amittunt acrimoniam,  
eadem solvendo, & ita *metalla pulverisata passive esse*  
*utilia*, & passive convenire, quatenus patiuntur, ut  
eadem sal corrosivum acidum in primis viis, & spiri-  
tus acidi corrosivi adgrediantur.

Dein obiter notamus, textum *Ettmullerianum* hic  
fuisse mancum, & à nobis ex prælectionibus B. Viri,  
quas possidemus, MStis suppletum. Verborum enim  
quæ in allegato hoc typis exscripto tractatu extant,  
*cum hypochondriaco melancholicis id observatum fuit*,  
nullum esse sensum, quivis intelligit. Textus ergo  
est quem nos retulimus, cum verbis omisiss, *globum*  
*ex auro deglutientes, successive absumentes.*

§. XXIX.

Potissimi ergo Chemicorum *extractioni* præmit-  
tunt Solis *reclusionem*, ita, ut sulphurea hujus substantia  
extravertatur, verbo, uti obtineatur *sulphur* aliquod  
*Solare* bonæ notæ, tanquam principium coloris, &  
consequenter Tincturæ radicativum, uti ab Ill. *Vve-*  
*delio* pharmac. in art. form. red. p. 233. vocatur. Ergo

Extractio-  
ni à pluri-  
mis præ-  
mittitur  
solis re-  
clusio.

clave opus erat ad hanc reclusionem instituendam, seu *menstruo* quodam, à variis vario adhibito.

pro qua  
non datur  
menstruū  
universale

Extitere eqvidem à *Paracelsi* temporibus & hodie adhuc extant, qui vano ausu monarchicum quendam meditati sunt statum, & *menstruum universale*, seu *alcahest* quoddam obtentum jaētant, cui, ceu regi omnia essent ad nutum. Tentarunt ergo, pro eodem impetrando, permulta naturalia, sal aeris universale, seu aviculam Hermetis, & filium Solis; rorem majalem; nivem; pluvias martiales; aquas tonitruales; nitrum; vitriolum; tartarum; urinam; mineras martis solares; argenti rubri seu auri rubicundi rudis, five immaturi (quas per famosum illud *electrum minerale immaturum* intelligi vult *Zwelfferus Mantissæ Spagyric.* p. 332.) cinnabarim nativam; margaritas; bismuthum; antimonium, mercurium vivum, & quid non. Sed recte Ill. *Vvedelius* cit. loc. p. 243. „inquit: plena de eo recentiorum sunt scripta, sed „plena nomine, vacua re, laudibus plena, opere egena, fusiusque ostendit, impossibile esse, & rationi adversum, tale dari. Quin sciscitare *Eidem* lubet, in quonam vase asservari possit universale hoc menstruum? Si enim vitrum dixeris, jamtum præsto esse universalitatis exemptionem.

sed particulare,  
non unū,  
qualia,

Qua de re cum secundum Ill. *Conringium* de Hermetic. medic. p. 289. uno liqore omnia solvere velle, perinde videatur, atque unum ignis gradum ad omnia adhibere, ea propter alii rectius edocti, suumque cuique tribuentes, auro etiam solvendo peculiariamenstrua adjudicavere.

Tileman-  
ni,

Tale ergo menstruum modo è rore, nive, aqua pluviali aut tonitruali; modo è terris nigris, unctuosis, sulphureis, salinis, nitrosis aut vitriolicis; modo  
ex

ex mineris auri immaturi accersunt Experimenta  
*Tilemanniana* memorata, manna etiam, melle, & ace-  
 to destillato in auxilium vocatis. Priora menstrua  
 illa, insipida alias vocata, non inutiliter adhiberi,  
 & in communi illo aeris promptuario reperiendum,  
 esse sal ad aurum potabile conficiendum accommo-  
 dum, testatur experientia, & authoritas *Langelotti*,  
 qui, tritus, per molam philosophicam instituendi, &  
 14. dies noctesque continuandi, beneficio aurum foli-  
 atum in pulverem fusco subnigrum impalpabilem  
 convertit, & ex hoc, per retortam planam, igneque  
 arenæ, per gradus augendo elicit paucas, sed rubi-  
 cundissimas guttas, quæ vel per se, vel cum spiritu  
 vini tartarifato digestæ, verum ipsi credebantur ex-  
 hibere aurum potabile. Cui jungendus est *P. Borellus*,  
 qui ex spiritu roris, juxta *Sendivogii* doctrinam pa-  
 rato, menstruum obtinuit, aurum intra paucas ho-  
 ras amice solvens, quod menstruum cent. I. observ.  
 6.<sup>ta</sup> p. XI.<sup>ma</sup> permagnis ornat elogiis. Consentientes  
 in his habet, (ut alios, per quam multos, taceamus)  
 & *Fried. Hoffmannum* in Clave Schræderiana, & Cele-  
 berrimum *Ettmüllerum*, in Schræderi dilucidati mine-  
 ralogia p. 233. Hic etiam p. seqv. 234. tale hoc red-  
 dit magis tale, in consortium vocata minera solari  
 Ungarica, ex quibus junctis sequens parat men-  
 struum: ℞. Mineram solarem Ungaricam in filice,  
 repertam, in crucibulo prius ignitam, & in spiritu  
 vini extinctam, quod aliquoties repetatur, pulverifa,  
 & sequens menstruum affunde. ℞. Roris majalis ex  
 tritico collecti, quantum vis, stent in digestionem vel  
 putrefactionem in fimo equino per 4. septimanas, fil-  
 tretur, & destilletur per Mariæ balneum phlegma,  
 in fundo remanens est liquor salinus rubicundus, qui  
 per,

Lange-  
lotti,

Ettmül-  
leri,

„ per retortam pellitur igne aperto. Hinc ascendit (1)  
 „ Spiritus seorsim colligendus. (2) Oleum & sal vo-  
 „ latile. Prior spiritus subtilis extrahit tincturam auri.  
 „ Oleum vero acre & sal volatile corpus corrodit & sol-  
 „ vit, quod probe observandum, ne sal & oleum cum  
 „ spiritu misceantur, alias enim acquiritur non extractio,  
 „ sed solutio. Spiritus hic in tinctura auri iterum ab-  
 „ strahatur, remanente essentia liquida, cujus dosis sunt  
 „ guttæ VI. ad X. Idem Experimentissimus hic Vir, imo  
 „ melius quid sperat ex eadem minera, spiritui mannæ  
 „ addita.

Lange-  
 lotti Ex-  
 perimen-  
 tum aliud,

Quemadmodum vero & hanc ipsam mannâ  
 cum rore sociat *Tilemannus* Experimento I.<sup>mo</sup>; ita &  
 Spiritum nivis, pro eodem scopo, cum *Tilemanno* ad-  
 hibuit modo laudatus *Langelottus*, de quo *Th. Bartho-*  
*linus* Cent. III.<sup>ta</sup> epistol. p. 256. hujus verba refert se-  
 quentia: Alia potius, & forsân gratiora Tibi poteram  
 „ his addere, de auro quodam potabili, magnarum-  
 „ omnino virium, beneficio spiritus nivis parando:  
 „ Eam nempe ἀντιδίψη loco debebam eruditissimis Tuis  
 „ de nive commentationibus: & certo missurus eram,  
 „ ut ipse, perfacili digestionis labore in Musæo id tuo  
 „ præparare posses, si nivis copia præsto fuisset.

Blanda  
 hæc præ-  
 stant sæpe  
 fortiori-  
 bus,

„ Atque de his, ut & spiritibus acidiusculis è man-  
 „ na, melle & saccharo eductis non sine ratione cum  
 „ Ill. *Vvedelio* pharmac. in art. form. redactæ p. 229.  
 „ potest dici, quod successiva, lenta, ac blanda hac  
 „ sua actione præstent sæpe numero fortioribus, quæ  
 „ majori impetu concreta aggrediuntur, & seipsa hoc  
 „ pacto destrunt, cum illa, è diverso, poris se infinu-  
 „ ando, penitus eviscerent corpora, & virtutes emendi-  
 „ cando quasi, præsentius auferant, quam violento jussu.  
 „ Unde etiam Illustris Vir in suis euporistis medicamen-  
 „ tis

tis MS. tis aurum tale potabile parare docet ex auro fulminante cum spiritu mannæ extracto.

Spiritus quoque terrarum sulphurearum, Salinarum ac mineralium, cum primis terræ Hausensis Hasfiacæ, aut minerarum ipsarum auri immaturi multum in his valere, constat. Per *rosam albam efflorescentem* Experim XII. *Tilemannus* innuit spiritum vel *fumum album* è minera proditurum, qui deinde fixatur in *mercurium philosophorum rubrum* (quæ est *rosa rubra efflorescens*) secundum methodum Experimento sequente indicatam. Et quando huic, eodem in Experimento, jungitur mercurius virgineus, tunc idem fit, quod præcipit *Zwelfferus* Mantiss. Spagyric. p. 331. cum spiritu è *marcasita aurea*, modo ibidem adducto, prolecto, quem, refert, aurum non tantum amicabiliter soluturum, verum & eundem cum mercurio vulgi nativo virgineo, vel etiam antimonii in *mercurium duplicatum* seu *Rebis philosophorum* abiturum profus confidit. Cui ibidem jungit spiritum ex nativo & naturali auro (*dem Wasch-Gold*) eodem modo parandum.

§. XXX.

Quæ nunc à §. V<sup>to</sup> ad §. XXVIII. inclusive afferuntur auri potabilis præparationes, ad unum fere omnes *primo* aurum in calcem redigunt, & eo magis porosam tenuem atque expansam reddunt ejus substantiam, quo ulterius *solventi*, vel etiam *extrahenti* menstruo, ad hujus vires adipiscendas, eo liberior sit aditus & introitus. Hoc fine adhibent alii *viam siccam*, alii *viam humidam*. Illam, per cementationes, atque reverberationes auri cum salibus nitri, saturni, communi, adhibito quoque quandoque tum amalgame

Delucidatio §§. V-XXVIII. generalis.

Quæ

mate mercuriali, uti hujus sal acidum eo potentius recludat aurum; tum cinnabari nativa communi, ut hujus corporis mercurius, salibus antedictis, quasi resuscitatus etiam suo in his fungatur officio, non neglectis etiam, tam sulphure communi pulverisato, uti hujus acidum in partem auxilii quoque veniat; quam tritu porro cum fuligine, ut tum hujus, tum aeris sal auri substantiam recludat, relusamque expandat. *Hac vero, via humida* qui utuntur, varia, quoque eligunt menstrua, aquam nempe regiam, spiritum & oleum, seu, quintam essentiam ipsis vocatam, salis communis; spiritum è sale terræ pingvis destillatum, & cum eodem sale maritatum, aquam tandem pluviam destillatam, & cum nitro, alumine & sale communi coctam.

*Secundo*, auri calcem, sic paratam alii immediate solvere, aut extrahere etiam pertentant, modo eandem digerendo ac circulando cum spiritu vini alcoholisato; nunc cum oleo glaciali, seu butyro antimonii; iterum cum spiritu nitri dezoardico; modo cum oleo saturni flavo; Denuo cum spiritu vini tartarisato; iterum cum spiritu mannæ; nunc cum sulphure saturni. id est, oleo vel spiritu ejusdem; modo cum spiritu vini, sale urinæ, vel fixo, vel volatili, vel utroque simul, vel etiam spiritu salis ammoniaci acuato; nec non cum essentia fuliginis alexipharmaca. Alii autem feliciores in his progressus sibi promittunt, quando, verbi causa, §. antecedente X.<sup>mo</sup> calx aurea affuso spiritu salis rectificato digeritur, extrahitur tinctura, & hæc tandem cum spiritu vini circulando exaltatur, & per alembicum deducitur; Aut, è diverso, §. XII.<sup>mo</sup> solutio solis cum spiritu vini facta, & inspissata, cum spiritu salis solvitur de-  
nuo

nuo ac digeritur. Idem fit §. XIV.<sup>mo</sup> beneficio olei sulphuris & spiritus vini; & §. XVI.<sup>mo</sup> ope spiritus vitrioli volatilis & spiritus vini tartarifati; §. seqv. XVII.<sup>mo</sup> auxilio spiritus urinæ & spiritus vini, & sic in cæteris.

§. XXXI.

Non molestum equidem nobis foret, per singulas, hisce thesibus comprehensas, ire præparationes, atqve ea adducere, quæ sigillatim ad has, aut illas, aut istas forent monenda, nisi operam nostram, bonam partem, in his laudabili industria anteverterit, exacti iudicii vir, *Fridericus Hoffmannus* in suis, jamtum laudatis, in Pharmacopœiam Schrœderianam, pereruditis annotationibus, quas sub *Clavis* pharmaceuticæ Schrœderianæ nomine evulgavit. Quæ de re Benevolum Lectorem, ad harum lib. III. cap. IX. §. XXVII. p. 210. seqq. volumus amandatum, ea saltem addituri, quæ in his non inveniuntur.

Monenda  
specialia  
ad præpara-  
tiones  
aurorum  
potabilium.

§. nempe XVI. pro auro potabili parando non opus est adhibere aurum fulminans *probe edulcoratum*, sed tantummodo *aurum depuratum foliatum*. Quid enim juvat, edulcorato auro fulminanti affundere spiritum vitrioli volatilem, cum hac ratione pristinum acidum corrodens calci huic denuo addatur. Confirmat idem substituendum huic, si desit, menstruum, aquæ fortis, ex sale communi & sale nitri paratum, eadem in thesi memoratum.

§. XVI. ex  
Schrœ-  
dero.

§. XVIII. adductum *aurum potabile Franc. Antonii* quamvis Schrœderus nominet *genuinum*, & adeo *decantatum Londinense*, & vel ea propter ingratiis propemodum evulgatum; hujus tamen descriptionem B. *Ettmüllerus* Schrœd. dilucidat mineralog. p. 235. nominat *satis crudam*, & ipsam illam *Antonii*, dicit,

§. XVIII.  
F. anc.  
Antonii.

N

non-

*nondum perfecte esse cognitam.* Aliam vero satis elegantem, inquit, suppeditare *Salam Chryfologiae* suae part. II. da pag. 223.

*Mynsichti* §. XX. *Mynsichti* porro, quamvis his in studiis viri multum versati lapsus nulla ratione est excusandus, qui, §. XX. adducta auri sui potabilis praeparatione, bonum & optime rectificatum salis oleum suum, verisque solummodo Chymicis notum, non pro corrosivo habet, cum tamen acrimoniam hujus menstrui corrodentem, eamque sigillatim acidam, prodant, tum *effervescentia ejusdem cum oleo cinamomi*, tum propria *Mynsichti* verba, quando praecipit, liquorem hunc solis aromaticum ea propter circulandum, *ut acrimonia olei salis evanescat.* Dein falli eundem quoque, solutionem hanc pro tali venditantem, quae in aeternum a nemine possit in aurum naturale reduci, dehinc dicenda monstrabunt.

*Schræderi* §. XX. Multi quoque est laboris oleum aureum *Schræderi* §. XXI. adductum, de quo *Idem*, referente Exp.<sup>mo</sup> *Jungkenio* memorat, quod *aquis sit innatans.* Nihilo tamen secius in eo censuram incurrit *B. Ettmülleri*, qui, praeeunte in his *Dan. Ludovici* in Pharmacia, existimat, oleum hoc esse non auri, sed spiritus vini, cum, posito aurum posse in corpus oleiforme redigi, illud tamen non posse esse adeo leve, uti aquae supernatet, quoniam oleum jamtum cinamomi fundum petit. Hinc igitur oleum istud non esse aliud, quam oleum ex spiritu vini addito resolutum.

*Clauderi* §. XXII. *Clauderianum* porro aurum potabile §. XXII. relatum multum habet in recessu. Exhibet hoc Chymiater celeberrimus in erudito illo tractatu, de balsamandi ratione conscripto, p. 201. Essentia alexipharmaca Experientissimi Autoris paratur per spiritum



tum balsamicum, eidem nominatum sequentem:   
 ℞. Cinerum clavellatorum libras duas; falis am-  
 moniaci pulverisati libram unam, super affundantur,  
 aquæ communis libræ sex, & destillentur per alem-  
 bicum in arena, observatis ignis gradibus, prout  
 artis filiis notum, . Hic ipse spiritus Viro insigni  
 multi est usus, dum & corpora post mortem à  
 putredine defendit, incorruptaque conservat,  
 & accommodum præbet menstruum, non tantum  
 pro conficiendo elixirio suo aperitivo, verum &  
 pro essentia alexipharmaca sequente: ℞. Fuliginis  
 splendentis ( Spiegel = Ruß ) q. v. & quidem si  
 haberi poterit è fumariis, ubi potissimum combu-  
 runtur ligna, quercus, betulæ, aut pini, eo melius  
 erit: pulverisato affunde in vitro spiritus ante memo-  
 rati balsamici q. s. ad eminentiam aliquot digitorum.  
 Hinc vitrum claudatur probe, ne pars volatilior eva-  
 poret. Agitetur aliquoties, & spatio dimidiæ horæ  
 quadrantis, imo citius (ubi nullum tamen in mora  
 periculum, magis erit conducibile, si diutius relin-  
 quatur) spiritus menstrui salinus extrahit, & absor-  
 bet sal & virtutes fuliginis, ut subito obtineas essen-  
 tiam rubini formem, ab omni empyreumate, sapo-  
 re & odore molesto liberam, quæ filtretur, & in  
 vase probe clauso usui adservetur. Haud ergo fru-  
 stra, & sine insigni ratione laudatus Vir fuliginem  
 adhibuit, cum tanta sit ejus per experimenta *Borri-*  
*chiana* deprehensa subtilitas, ut ipsa quoque in sub-  
 stantia poros vitri, hinc illæsi, in destillationibus qui-  
 busdam penetraverit, de quo referunt Act. med.  
 Hafn. vol. I, obs. 71. Auri ergo fixitatem à menstruo  
 hoc fuliginis urinoso sese defendere haud posse, nil  
 mirum, & id ipsum quoque elegans observatio *Lu-*

*doviciana* & historia podagræ super. Sect. I. cap. I. §. XIII. adducta confirmat, quam actionem magis reddit validam, hac in operatione, sal aëris ab incalescentia attractum.

Perinde ac suam in his peritiam ostendit Gallus. *Febure* §. XXV. *Febure*, manu duct. ad Chymiam part. II. Sect. III. qui aurum potabile suum à nobis §. XXIII. allatum non pro prorsus irreducibili, in tantum tamen recluso venditat, ut vires satis conspicuæ ab eodem haut frustra expectentur. Id quod experientia quotidiana de hoc auro potabili Autoris satis dat confirmatum.

*Zwelfferi* §. XXV. De *Zwelffero* constat ex ejus Appendice ad Animadvers. in Pharmac. Aug. pag. 59. quod is Tincturas auri ab Autoribus jactatas atro admodum carbone notaverit, prorsusque ac palam edixerit, esse illas meras solutiones, indignas specioso *Tincturarum* nomine, & vel levisima opera, ac cito, parabiles, processus licet ostentent iidem speciosissimos, vix dimidii anni spatio elaborandos vel perficiendos. *Aliud autem esse solvere, aliud extrahere.* Hanc vero extractionem nullibi locum obtinere, aut esse præsto, nisi ubi corpus, post extractionem, colore suo privatum aperte possit demonstrari. Hinc ergo se Lectori *vellus aureum è tincturis suis* haud polliceri, cum jam pridem ex adversariis suis expunxerit, & etiamnum summo vel odio, vel commiseratione dignos censeat omnes, qui, inanis gloriolæ vento turgidi, mera dicacitate tot processus confarcinant, tantis encomiis celebrant, plenisque buccis deprædicant, ipsi decepti, & in ignorantia cæcitate hæsurî, infinitos defraudantes. His tamen non obstantibus, insignis hic Vir Mant. Spagy. part. I. cap. I. p. 322. animo ac mente prorsus commutata, imbe-

imbecillem pusillanimitatem vocat, si quando quidam cæteroquin in arte haud parum versati præpropere desperent, in mineralibus ac metallis, primario autem *auro extractiones posse tentari*, cum interim per mechanicam sit compertum, *tincturam auri* (aliis *animam, sulphur*, seu *quintam essentiam dictam*) *separari posse à corpore mercuriali*, lunæ speciem referente, ejusque proprietates *ex integro æmulante*. Hoc igitur auri sulphur §. XXV. allata methodo, prorsus eximia, ex auro elicere, & spiritui vini vero, ex vino rite destillato, & spiritu sicco, id est, sale urinæ animato copulare atque alligare docet.

Non minus egregia est præparatio essentiae auri altera *Zwelfferiana* §. XXVI. memorata, quæ aurum solvit, solutum sublimat, sublimatum ab adjuncto sale, affusa aqua, liberat, probeque edulcoratum tandem extrahit, sicque liqvozem rubicundum, pretiosum, morbisque deploratis opponendum obtinet.

Alterum  
ejusdem  
§. XXVI.

Neque dimittere possumus præparationes Fratris *Basilii Valentini*, aliqua saltem ratione dilucidandas, quoniam ea, quæ in *Schrædero, Brendeli Chimia*, & hinc inde inveniuntur, partim nondum satis mentem auctoris expressisse, partim etiam manca, nondumque absoluta nobis videntur. Methodus, quam *Schræderus* exhibet, collecta est ex *Basilii* part. II. lib. II. edit. Hamb. 1677. cap. de sulphure folis p. n. 279. Aurum ergo quod recipit, debet esse ter per antimonium depuratum. Hujus parti I. addit mercurii vivi puri, atque per corium trajecti partes vj. Amalgamati exinde facti addit duplum sulphuris communis pulverisati. Dein mixtum hoc sub tegula fornicata calore leni calcinat ( *lässet es auf einer breiten Scherben / in subtiler*

Fr. Basilii  
Valentini  
§. XXVII.

Wärme / unter einer Muffel verdrauchen ) unciolo  
 ferreo idem continue agitando & leniter invertendo ,  
 cavendoque à calore fortiori fusorio , donec calx co-  
 lorem floris calendulæ acquisiverit. Jam vero recipit  
 hujus calcinati part. I. eamque in cucurbitam , impo-  
 sito , agglutinatoque alembico instructam , immitten-  
 do , solvit in partibus iij. aquæ regiæ , paratæ ex sa-  
 lium nitri. ( alibi in tract. *Offenbahrung verborgener  
 Handgriffe* pag. n. 322. loco hujus recipit sal petraë )  
 ammoniaci ana part. j. silicum lavatorum pulverifato-  
 rumque parte dimidia ; vel alius , ex spiritus salis  
 communis partibus iij. & spiritus nitri part. j. invi-  
 cem commixtis , compositæ , digerendo hæc leni ci-  
 nerum calore. Solutiones deplet , atque opus hoc ea  
 ratione , quam §. XXVII. recenset , continuat , usque  
 ad Crystallisationem instituendam , à quibus crystallis,  
 prima vice obtentis , liquidum residuum denuo deplet,  
 in Mariæ balneo usque ad oleitatem abstrahit , atque  
 vase in loco frigidus relicto , novas crystallos impetrat,  
 has operas eo usque urgens , donec nullæ amplius  
 emergant crystallo. Harum crystallorum , quæ pel-  
 lucidæ sunt , & ipsum *solis vitriolum* exhibent , reci-  
 pit part. j. solvit eam in aqua quadam destillata , ad-  
 dit eidem mercurii vivi , bene depurati , partes iij.  
 optimeque his agitatis apparent varii colores , subsi-  
 det amalgama , & aqua remanet pura. Ab hoc amal-  
 gamate mercurium , sub tegula fornicata massam con-  
 tinue , cum filo ferreo , agitando , exhalare jubet ,  
 atque sic remanet pulvis egregius purpureus , in aceto  
 destillato mox solubilis. Hunc pulverem purpureum  
 extrahit , lenis caloris ope , cum spiritu salis & vini ,  
 peculiari & eo modo sollicitate parando ( nam ob ad-  
 auctam nimis argumenti nostri molem hæc sunt con-  
 tra-

trahenda) quem præcipit allegato tractatu p. 284. & p. 350. donec emergat tinctura rubicunda, (si enim viridis, vel alterius coloris extrahitur, menstruum hoc haud est legitime paratum) quam deplet, novumque spiritum residuo affundit, denuo tincturam, extrahit, deplet, & sic eo usque has operas producit, donec menstruum ulterius haud tingatur, & corpus in fundo remaneat albicans, calcisque vivæ colorem referens, non abjiciendum, sed seorsim adservandum, cum adhuc sal auri egregium in se contineat, ex quo auri mercurium currentem parare docet p. 286. Jam vero operatio hæc nondum est prorsus absoluta, quamvis *Schræderus* nihil amplius de eadem referat, sed supplenda est ex *Basilii* lib. V.<sup>to</sup> quem vocat *übernatürliche hochtheure Wunder-Artzney* p. 345. Nempe ex tinctura obtenta rubicunda abstrahendus est spiritus, uti obtineatur anima, seu sulphur Solare, quod decies vel duodecies bene edulcorandum, atque exsiccandum, ponderandum, & cum quadruplo spiritus mercurii infundendum. Sed ille *spiritus mercurii ex quonam, & quomodo* parandus, hoc opus hic labor est. Si enim Alchimistas consulas quamplurimos, sæpe indoctior & impedito atque obfuscatō magis, quam illuminato intellectu ab eorum lectione recedes. Adeo enim hieroglyphicis locutionibus omnia involvunt, pro rebus signa abdita afferunt, lectores æqvivocis vocibus deludunt, suisque sese latibulis & verborum umbris recondunt, ut facile appareat, eos data opera neminem velle reddere Oedipum. Et quod magis mireris, unusquisque in alterius obscuritatem acerbe satis invehitur, ipse tamen adhuc obscurior. Qua de re misis Commentatoribus *Basilii* ipse apprehendendus, consulendusve,

De spiritu  
mercurii,

in libro  
de  
mercurio

Quisnam  
ille

quippe qui magis sincere & aperte operationes suas  
chimicas artis filios, quam ullus horum edocuit.  
Per *spiritum* hunc *mercurii* intelligit Basilius liquidum  
quoddam volatile, penetrans, naturæ mercurialis,  
ex mineralibus de hinc nominandis, ignis ope, evo-  
catum, coloris albicantis, vel nullius prorsus, ac  
pellucidam crySTALLUM vel aquam referens, aurum  
*radicaliter* solvens & hinc inde *veri philosophorum mer-  
curii* nomine ipsi veniens. Jam vero in scriptis suis  
*Varia* mineralia, menstruum tale largitura nomi-  
nat. De *primo* loquitur part. III. quam vocat,  
*Erklärung der 12. Schlüssel* / p. 180. editionis *Neu-  
zeriane* Argentoratensis 1712. ubi de tali menstruo  
obtinendo non desperandum esse dicit, sed consulen-  
dum Deum *Saturnum*, utpote splendidam traditu-  
rum mineram, ex prima omnium metallorum ma-  
teria oriundam. Hanc post singularem præpara-  
tionem sublimari posse in aluminis plumosi simile,  
quid, resolviqve tandem in aquam satis validam ad  
aureum recludendum semen. Per hanc mineram in-  
telligendum esse *antimonium*, nullum nobis restat  
dubium. Hoc enim est *Saturnus philosophorum duplici  
falce* ☽ armatus; *materia philosophorum*, figura mun-  
di ☿ signata, prout tectis nominibus illud nominat  
hinc inde *Jo. de Monte - snyders* de medicina univer-  
sali. Confirmat nos in eo *Currus Triumphalis An-  
timonii Autoris*, editionis *Kerckringiane* pag. 172. Ubi  
non tantum nominatur oleum ex vitro antimonii pa-  
randum, efficax pro *tingtura ex auro arripienda*, ve-  
rum & pag. seqv. doctissimus *Kerckringius* integram  
hujus tincturæ solis parandæ rationem recenset, di-  
gnam, ut inspiciatur, atqve probe consideretur.  
Eo ipso vero, dum hoc affirmamus, illud tamen  
haud

nim ex  
antimonio  
parandus,

haud diffitemur, ex *Basilii* eqvidem allegatis, ac scripti hujus p. 286. adductis verbis, mercurium philosophorum non ex antimonio, sed ex alio, mox nominando, minerali sperandum, indeque nos inductos, ut *spiritum mercurii ex antimonio* p. 119. hujus tract. memoratum habeamus pro mercurio vivo atque currente antimonii, cujus, methodo p. 248. allata, parandi, virtus in morbo Gallico, sine excitata salivatione, sanando est egregia. His tamen non obstantibus, Ill. *Vvedelium* introd. in Alchim. p. 41. ipsum mercurium quoque *duplicatum* ex antimonio arcesse debere, gravissime judicare.

Huic autem antimonii minerali in eo anteponendum est aliud *duplex*, secundum *Basilium*, indolis *venereae*, nempe *vitriolum & viride aris*, ex quo utroque spiritum mercurii adeptus est *Basilus*, prout idem asseruit partis III. laudatae pag. 181. *Illud* eligit *Hungaricum*, quod secundum partis III. hujus pag. 190. calcinat; calcinatum retortae, luto accommodo bene inductae ac munitae, immittit; ex immisso, leni prius igne, posthac autem fortiori, pellit spiritum albisimum, forma vaporis copiosi atque impetuosi exeuntem, quousque hic tandem sponte sua cesset. Spiritum hunc, distillationis ope, a phlegmate suo liberat, & sic in fundo ostendit oleum rubicundum, gravitate sua plumbum, imo aurum ipsum æmulans, spissum & indolis calidissimae atque prorsus igneae, quod vocat *genuinum aurum philosophorum fluidum*, tria in se principia continens, *spiritum* nempe, *animam & corpus*, unumquodque lege artis, (quam in omnibus hisce operis arduam prorsus, & paucis accessam novimus, *Autor* etiam uno in loco haud pandit, verum de industria ac data opera disjungit, uti industriam

Spiritus  
mercurii  
ex vitriolo  
Hungarico  
parandus

ac ardorem artis filii eo magis provocet ac accendat) inqve auxilium vocato tartaro albo calcinato separandum, quam methodum recenset pag. 201. hieroglyphicisqve terminis denuo involvit. Supplenda ergo & illustranda est, quod ingenue fatemur atqve revelamus, tora hæc præparatio, tum ex tractatu, von dem universal der ganzen Welt / pag. 270. seqq. edit. Hamburg. in quo dicit, primo prodire ex *vitriolo spiritum album*, quem *mercurium* vocat, dein spiritum rubræ indolis, quem *sulphur*, ut & *oleum* quoq; nominat, remanente *terra, sal* adhuc in se continente, quo evocati tum mercurius, tum sulphur combinari, magisque validi atqve efficaces reddi possunt; tum ex alio scripto, *wiederhohlung des grossen Steins der Ubrasten* vocato, cap. de vitriolo; pag. m. 94. edit. ejusdem; tum ex libri, quod *Schluss-Reden* appellat, Sect. II. de vitriolo philosophorum; tum ex *Jodoci V. R.* p. n. 265. edit. Argentorat. memorata operis vitrioli philosophici adornatione; tum ex *P. I. Fabri Palladio Spagyrico* p. n. 682. edit. Hamburgensis hujus anni 1713. ubi docet modum parandi *mercurium philosophorum*, non nominato tamen, quod ipsi cum multis solemne est, minerali, quippe cujus nomen pag. anteced. vel inter trecentas voces synonymas recondit, fortassis tamen, nisi nos omnia fallunt, idem *vitriolum* erit; tum tandem ex Fasciculi veritatum reconditarum Alchymistici cap. V. integro, quem tractatui *die güldene Quelle der Natur und Kunst* insertum voluit Autor ficto *Sinceri Renati* nomine 1711. evulgatus, in his, prout in multis aliis prorsus sincerus & apertus.

Distinctius vero similem mercurii spiritum parare docet *Basilius*, tractatu, quem nominat *Offenbahs*



bahrung verborgener Handgriffe / opera, quarum quatuor ibidem recenset, secunda, ex *viridis aris crystallis* calcinatis, additis silicibus candefactis, in aceto bonæ notæ extinctis, sicqve calcinatis. Evocatum exinde vitrioli oleum, coloris ex nigro rubentis, limaturæ martis superfundit, hanc solvit, in crystallos convertit, vitriolumqve sic, ex conjunctis marte & venere, enatum calcinat, calcemqve rubram hanc per gradus destillat, indeqve elicit primo *spiritum album*, seu *mercurium philosophorum*, deinde *spiritum rubrum*, *sulphur philosophorum*, excipiente ac sequente utrumq; *oleo incombusibili*, *martialis* insimul ac *venerea* indolis, vinculo prorsus indissolubili conjunctæ, und ist nun / qvemadmodum Basilius loqvitur, des grünen und rothen Löwens Blut / davon der König soll gespeisset werden / conjungiret. Has ut & reliqvas operas prolixè admodum, allegato capite, p. n. 325. seqq. atqve ita describit, ut plura de his dicere, non nisi sit tenebras verbis *Basilianis* offundere. Qua de re pergimus ad quartam præparationem, qua *Basilius spiritum mercurii* obtinuit.

Hanc adducit scripto illo vocato von natürlichen und übernatürlichen Dingen pag. 242. edit. ejusd. Hamburg. & jubet recipere *mineram mercurii rubram*, instar cinnabaris spectandam (ein rothes Quecksilber-Erz / gleich anzusehen dem Zinnober) quam cum æquali pondere *minera, auri optimi feracis*, nullumqve adhuc ignem expertæ, conjungit, hisce in pulverem redactis *oleum mercurii* per se ex vulgari mercurio depurato & sublimato paratum superfundit, (oleum autem hoc qvomodo obtineatur alio in tractatu, lib. IV. nempe, partis posterioris, Handgriffe Vocato, p. n. 312. edit. Hamb. docet) digerit per mensem, atqve sic extrahit, ab extracto in Mariæ balneo leni destil-

aut ex  
crystallis  
viridis  
aris, &c.

aut ex  
minera  
mercurii  
rubra, &  
reliq.

latione phlegma separat, oleo ponderoso in fundo remanente, omnia metalla in momento in sui finum recipiente. Huic oleo superfundit triplum spiritus vini, circulatque in vase circulatorio, quod pelecenum vocant, donec sanguineo prorsus colore sit conspicuum, saporemque dulcissimum adipiscatur. Hinc spiritum vini deplet, relicto liquori novum affundit, atque operam hanc eousque repetit, donec liquidum satis saturatum, dulce, rubini adinstar coloratum, ac pellucidum evaserit. Singula hæc, quæ alembicum transcenderunt, conjungit, tartaro calcinato superfundit, & ignis cinerum beneficio fortiter destillat. Sicque *spiritus mercurii* evocatur, remanente Vini spiritu in tartaro recondito. Hoc ergo celebre illud menstruum est, quo ipso tinctura solis sequente ratione tandem obtinetur:

inservit ad  
Tincturam  
solis absolvendam,

Infusum nempe sulphuris solaris bene edulcorati cum quadruplo spiritus mercurii, probe clausum ac luto accommodo munitum in Balneo Mariæ ad putrefactionem lenem reponitur eousque, donec sulphur solare prorsus solutum, atque in primam, uti loquitur, materiam redactum, liquorem dederit rubicundum, pellucidum, ac rubini adinstar elegantem. Hic tandem cum duplo spiritus vini summe, rectificati, atque, quod apprime notandum est, eo modo, quem in fine tractatus, *Offenbahung verbor. gener. Handgriffe* nominati, describit, parati, commiscetur, digeritur, per dies noctesque duodecim ad quindecim in putrefactione relinquitur, dein abstrahitur tinctura elegantissime rubicunda, pellucida, repetiturque hæc opera eousque, donec nihil amplius ex corpore solis residuum in fundo remanserit, *aurumque potabile genuinum ac verum tandem, nulla arte*  
redu-

reducibile, præmium tam longi, tamque tædioſi laboris, fuerit impetratum.

In ſecunda auri tincturæ *Baſilii* præparatione ex *Schrædero* deſumpta & à nobis pag. 89. relata monendum eſt, calcem auri, per oleum tartari ex deliquio factum, ſive ſal quoque tartari in aqua fontana ſolutum, præcipitatam, aqua decies vel duodecies eſſe eluendam, hincque non ignis vulgaris ope, ſed in aere, à radiis ſolis libero, exſiccandam. Dein reverberanda eſt hæc calx cum floribus *ſulphuris*, non *tartari*. Perinde atque ex hac per ſpiritum ſalis dulcem extrahendum *ſulphur ſolare*, non *tartarus ſolaris*. Menda enim gravis eſt Typographica, ex characterum  $\triangle$  &  $\square$ . non multum diſpari ratione oborta, neque tantum editioni quintæ *Schræderiana*, verum & ſeptimæ, quas utraſque poſidemus, communis, & mirati ſumus, hanc ſine monitis ab *Hoffmanno* æque ac *Eitmüllero*, commentatoribus hujus alias ſedulis ac valde circumſpectis prætermiſſam. Perinde ac nullibi in ſchedis *Baſilianis*, quas in utraque editione, *Hamburgeniſi* & *Argentorateniſi*, uſque huc allegatis à capite ad calcem ac ſedulo volvimus ac revolvimus, nobis reperire licuit num. 7. hujus præparationis memoratam, repetitam *ſulphuris extracti*, digeſtiſque ſolaris in aqua regia ſolutionem. Quin potius *Baſilius* paſſim inculcat, *ſpiritum mercurii*, etiam hoc loco allegatum, tanquam ſolam, veram, ac genuinam, clavem pro auri corpore reſerando, ac in potabilem liquorem redigendo, in uſum vocandum.

Illud tandem hoc loco addendum cenſemus, *Schræderum* huic jam modo dilucidatæ, aliquantum immutatæ, præparationi tincturæ ſolaris *Baſiliane* ſubjicere notationem, in qua, ex *Tractatus Baſilii*,

Ad ſecundam auri  
Tincturam Baſilii  
monenda

\*

ad ſecundam  
Tincturam  
Baſilii

wiederholung des grossen Steins der Uhrasten nomi-  
nati, capite de vitriolo, edit. Hamburg. p. 95. men-  
struum adducit, *oleum vitrioli rubrum corrosivum*.  
Sed quoniam paucissimis tantum verbis hæc præpa-  
paratio ibidem describitur, ea propter benevolo le-  
ctori autores sumus, ut hujus (quod tamen priori-  
bus usque huc explanatis, multum quoad vires est  
cedens) fusiorem descriptionem evolvat in Tracta-  
tus, *übernatürliche / hochtheure Wunder-Arsney* ap-  
pellati pag. 347. part. II. edit. Hamburgensis, cum  
nobis ad reliqua expedienda sit progressus instituen-  
dus.

§. XXXII.

Vires au-  
rorum po-  
tabilium

Quando nunc permulti autorum usque huc me-  
moratorum, uti *vires* suarum auri tincturarum eo  
*efficaciores* aliis persuadeant, aura sua potabilia pro  
prorsus *irreducibilibus* venditant, tunc non possumus  
non eosdem cum ingeniosissimo & in his quoque  
operis quam maxime versato *Boyleo* committere,  
atque ex Experimentis insignis hujus viri, tractatui  
de origine qualitatum & formarum subnexis, p. n. 132.  
examen ejusmodi tincturarum per in easdem immit-  
tendum mercurium vivum adducere. Quemadmo-  
dum enim aurum potabile per *menstruum peracutum*  
suum, id est, spiritum nitri bezoardicum, ab eodem  
ibidem paginis antecedentibus descriptum, paratum  
examen hoc sustinere haud potuit, verum dispersis  
auri sublimati particulis per mercurium vivum col-  
lectis, cumque borrace commixtis, in crucibulo par-  
vo denuo in *globulum auri* fuit *fusum*, cum tamen in  
tantum extractio hæc processerit, ut corpus album,  
in purum; putum argentum à *Boyleo* collectum, in  
fundo reliquerit: ita non sine ratione veremur, idem  
fatum

fatum permultas auri potabilis à nobis adductas præparaciones prorsus experturas.

§. XXXIII.

Injuriæ autem fuiffemus in chartas nostras, quibus præparaciones tales usque huc mandavimus, si experientia, & summorum virorum, & qualicunque nostra, de virtutibus adductarum auri tincturarum, quamvis etiam pro *irreducibilibus* haud habendarum nobis non constaret. Quia de re in id flectenda erit nostra oratio, atque tincturis nominatis sua erit adferenda & adstruenda efficacia, quamvis etiam pro veris, ac radicalibus auri solutionibus non sint venditandæ.

quamvis  
haud irre-  
ducibiliū

Non inficias imus, experientissimos viros medicos non una vice, sed sæpius deprehendisse, auri potabilia multa, vel ab ipsis autoribus, vel secundum methodos ab ipsis allatas, omni adhibita cura, industria, atque artis lege parata, tantis, quibus ornata, dicam, an onerata, erant virtutibus dotata non fuisse deprehensa. Habeant igitur sibi, quando enormibus atque omnem fidem, imo demonstrationem naturalem ac medicam, excedentibus encomiis suas tincturas solares in publicum emittunt, pro panaceis extollunt, atque turbam omnem quasi ægrotorum ad unicam hanc, omnis salutis, anchoram, ad saxum ac petram Mosis in fluentem salutarem undam conversam, convocant, atque sic viros prudentes, usuque rerum aliarum medicarum multum valentes, hisce tincturis reddunt diffidentes. Interea tamen præcipites hæ, & ex nimio sæpius erga suum tanto labore paratum medicamentum ortum ducentes laudes non debent in tantum, hisce tincturis derogare, ut ab iisdem in permultis morbis adhibendis prorsus absterreamur.

non pro-  
fus sunt  
nullæ

Pro-

Proinde neque hoc movemur, neque etiam denuo  
 obtinenda tincturarum adductarum in *aurum reductione*.  
 Quin potius multum in eo nos capit exactum  
 celeberrimi Archiatri Regii ac Professoris Medici Gry-  
 phiswaldensis, *Marchii* in sua de Auro dissertatione  
 iudicium sequens: „ Nos firmiter *credimus & obser-*  
*vamus*, male requiri pro usu quidem Pharmaceutico,  
 „ in *aurum potabili*, ut sit *irreductibile*, aut ita solvatur  
 „ aurum, ut nihil retineat auri. Quis enim in aliis  
 „ rebus solvendis aut extrahendis id requirit? sufficit,  
 „ si vim & particulas quasdam extrahere possimus.  
 Perinde ac in chemicis operis quondam versatissimus  
 & Kun- *Kunkelius* in sua Philosophia chimica egregie dicit: :  
 kelii „ Vellem magnopere aurum potabile ita præparare,  
 „ ut DEO, conscientia meæ, omnibusque homini-  
 „ bus, honestati deditis ejus reddi ratio posset, quan-  
 „ quam illud ad pristinam suam naturam *reduci* posset.  
 Quandoquidem igitur auro etiam in substantia, uti  
 loquuntur, adsumto cum Exp.<sup>mo</sup> *Lentilio* suas supe-  
 riori pag. 61. seqq. adjudicavimus vires, & *Celeb. vi*  
*Estmülleri* p. 90. adducto testimonio, idem deglutitum  
 hypochondriaco melancholicis in remedium cesfit,  
 quid non fiet per aurum tantis operis tortum, reclu-  
 sum, spongiosum, porosumque redditum, atque in  
 multis præparationibus vel super alembicum dedu-  
 ctum? Unde nunquam in id poterimus induci, ut  
 credamus, tantos Viros, tantæ eruditionis, expe-  
 rientia, existimationis, ac nominis, medicamento adeo  
 pretioso, prorsus tamen inefficaci, atque nullius usus,  
 honestis quibuscunque voluisse imponere, neque tam  
 ægrotorum salutem respicere, quam eosdem argento  
 emungere.

Sufficeret solum hoc caput, ad dissvadendum tincturarum solarium usum, si constaret fide atqve demonstratione omni exceptione majori, nisi præsto adhuc essent graviores in hæc aura potabilia multorum animadversiones, huic fundamento inædificatæ, quod, dum ad unum fere omnes auri potabilis præparaciones ingrediuntur substantiæ corrodescentes, acidæ atqve salinæ, non possint non aura hæc potabilia esse nocentia, atqve loco medelæ damnum irreparabile, imo mortem ipsam inferre. Verum, utut haud inficias eamus, superioribus §. VII. & §. VIII. p. 74. & 75. adducta, ac per butyrum antimonii & spiritum nitri bezoardicum parata aura potabilia, recte hanc censuram incurrere, eaqve propter in corpus immittenda non posse svaderi, alia tamen in reliqvis obtinet ratio. Quem enim latet, spiritus etiam corrosivos vocatos, nitri, vitrioli, salis communis, & reliqv. toto die, cum emolumento ægrotorum in usum vocari, & præsentè indicatione, minoriqve ac debita dosi adsumta, nullam eisdem noxam inferre. Alia enim est compages metallorum, quam adgrediuntur & dissolciant hi spiritus, alia ventriculi, humido sufficiente madidi, & contra hanc istorum vehementiam eo ipso satis muniti. Deinde & vehiculum largius adhibitum, cumqve eodem sumtum aurum potabile, quicquid adhuc acrimoniæ medicamento solari inesse putatur, statim diluere est valens. Ut taceamus, quosdam horum autorum ante extractionem recipere calcem solis probe edulcoratam. Accedit his & illud, quod plerisque harum tincturarum solarium præparationum spiritus vini rectificatus det complementum, de quo constat, quod is cum spiritibus, salis communis, vi-

neqve metuenda sunt aura potabilia

ob menstrua corrosivè

cum & horum usus sit medicus

& per spiritum vini corrigantur

trioli, & nitri combinatus, ac super alembicum ductus, acrem illorum naturam prorsus invertat, eosque dulces, id est, vi corrodeute exutos, reddat. Unde, si vel ex menstruis illis acribus solis, vel his cum auro junctis, tertium quid, indolis talis metuendæ, enascatur, nullum tamen nobis est dubium, illud nominato vini spiritu rectificato in alium prorsus statum iri immutatam,

§. XXXV.

Vires igitur nominatæ erunt vel generales

Quamobrem remotis, contra harum tincturarum usum, allatis objectionibus potissimis, vires earum propius inspecturi, istas commode dividi posse in *generales*, omnibus ac singulis allatis tincturis solaribus adscribendas, & *speciales*, huic vel illi auro potabili magis in acceptis ferendas, animadvertimus. Inter illas ergo primo loco nominamus virtutem

Confortantes

*Confortantem.* Enimvero, quoniam aura hæc potabilia indolis sunt fixioris ac illorum, quæ ex aliis regnis suum ducunt ortum, ea propter vires eorum non statim in ventriculo vel dispereunt, vel ita infringuntur, quemadmodum aliorum, ex dictis regnis depromptorum medicamentorum, hincque magis integræ quasi in massam sanguineam importantur, & cum hac ad singulas corporis partes deportantur, spiritus vitales, ac calidum innatum, exinde efficacius confortantur, atque ad continuandam pressionem & circulationem humorum excitantur, quoniam tincturarum nominatarum sulphura, utpote, naturæ magis amica, sulphur vitale, cum quo puritate sua magis sunt convenientia, luce sua reficiunt, serenant, ac fovent, hincque viscerum quorumcunque tono, indeque pendentibus actionibus naturalibus insigne robur accedit. Locum ergo habent in morbitum



tum acutis, tum chronicis magis, ubi naturæ vires sunt fatifcentes, atque sanguis spirituum fulcimento orbatus novo eget balsamico nutrimento ac refocillatione. Et hæc aurorum potabilium efficacia omnium minus est controversa, atque in dubium vocata: adeo, ut Ill. *Vvedelius* pharm. in art. form. red. p. 204. egregie dicat: *Quis vero neget, & in aliis, maxime in auro latitare sulphur ejusmodi purum, homogeneous, naturæ amicum & confortandi viribus pollens.* Præterea vero & hisce tincturis inest virtus.

*Diaphoretica*, quoniam sulphur, tanquam *calidum innatum* mixtorum, in se continent, reclusum, vinculis suis solutum, atque expansum, hincque ex fixissimo, quale illud est auri, per tot improbos labores atque vexationes nihilominus suo modo volatile redditum. Unde hoc tincturarum solarium sulphur denuo agit in illud sanguinis, ipsum hoc expandit, efficitque, ut hinc magis distentæ venæ partes illas serosas vicinas iterum premant, de loco suo dimoveant, & sub forma vaporis, ad commune illud corporis integumentum perductas, easdem ibidem, in *sudorem* resolvant. Fit autem illud etiam ratione *menstrui*, quod propemodum in omnibus, & paucis exceptis, est *vinosum*, indeque sulphur sanguinis intendens, in multis etiam *urinosum* simul, hincque idem adhuc magis rarefaciens. Unde pro ratione horum, *magis* etiam vel *minus* sunt hæc aura potabilia *diaphoretica* catharrhis, febribus continuis humorumque vitalium vitiis opponenda. Porro, tincturarum harum sulphur adeo purum, insignis quoque est

*Immutans & renovans* humorum vitalium, impuritatesque ex massa sanguinea expellens. Inde igitur suo quoque funguntur officio in morbis scorbuticis,

Diaphoretica.

Immutantes ac renovantes

& exanthematicis, variolis morbillis, purpura sangvini-  
nis, scabie, elephantiasi, lue venerea, & cancro ipso.  
Perinde ac his quoque haud deneganda *vis*

*Anodyna*, duplici ratione, *positive*, quatenus ir-  
retiunt spiritus &, ob rosciditatem balsamicam & reso-  
lubilitatem suam, poros nimis patulos obstruunt, &  
*privative*, quatenus causam dolorum salinam corri-  
gunt, humorumque acrimoniam acetosam absorben-  
do, saturando, edulcando, figendo, invertendo, mi-  
tigant, indeque in doloribus quibusvis, nervosarum  
& membranarum partium irritatione ac rosione,  
egregiam opem praestant, ut hinc doloribus contice-  
scentibus, sedatisve, vel, pro partium eisdem soven-  
tium ratione, minimum mitigatis, quies optata las-  
satis spiritibus ac membris restituatur. Redduntur  
ergo tum ex hoc non minus nomine, tum per se quoque  
porro tincturae hae solares etiam

*Nervina*, dum, ob vim confortantem, sopitam e-  
diverso facultatem excitant, atque hinc in convulsio-  
nibus spasmodicis, contracturis, vertigine, affectibus  
hystericis, epilepsia, paralyfi, ut & apoplexia ipsa,  
verbo, morbis nervosum genus aggredientibus reme-  
dia sunt generosa, quae eo melius se gerunt, quo ma-  
gis ipsa quoque *menstrui*, adde & *vehiculi* ratio est ac-  
cedens, atque ad eundem scopum colligans. Quibus  
tandem addere fas erit plerisque hisce tincturis adju-  
dicatam quoque virtutem

*Bezoardica*, & *alexipharmacam*, quam ob antece-  
dentes operas quasi conjunctas, in morbis maligni-  
tatem comitem habentibus, Hungarico, purpura alba,  
febris miliaribus, petechialibus atque epidemicis,  
imo & peste ipsa ostendunt & demonstrant.

§. XXXVI.

Ad *speciales* horum aurorum potabilium virtutes <sup>vel Speciales</sup> rectius quoque intelligendas, commodum erit, eorum agendi modum ulterius lustrare. Enimvero, quemadmodum ex ipsa sulphuris solaris, maxime puri, essentia vires modo recensitas tincturæ solares obtinuerunt, ita nunc, pro *menstruorum* ratione accedente, <sup>menstruorum ratione ipsi accedentes, hincq; modo,</sup> etiam in morbis his, illis, istis, proficua evadunt, modoque, quicquid peregrinum ac noxium est, si paucum, corrigunt, vel discutunt; si copiosum, atque grossioris indolis, ut è centro ad circumferentiam, & per poros cutis, beneficio sudoris, eliminari haud queat, motu quodam critico excitato, per proximas quascunque vias aut emunctoria, nares, os, alvum & urinam è corpore ejiciunt; modo orificia vasorum, & quicquid laxum est, constringendo, fluoribus noxiis obicem ponunt; modo è diverso quicquid obstructum est, referant, & aperiunt, ut & sic quoque singulorum corporis partium functiones fatiscentes ac labefactatæ in integrum restituantur.

§. XXXVII.

Ut & de his uberius dicenda in pauca contrahamus, & quid in specie, & ratione *menstruorum*, quoque suorum, conjunctis viribus, valeant aura potabilia, in exemplis horum declarem; illa *Tilemaniana* per menstrua blanda, roris majalis, nivis, aquæ pluvialis, vel tonitrualis, parata salinas atque nitrosas, hincque præter reliquas, jamtum nominatas, vires cumprimis bezoardicas, etiam *refrigerantes*, <sup>refrigerantes, resolventes, aperientes, diuretice;</sup> *solventes*, *aperientes*, atque *diuretice* obtinuisse censentur, hincque in sudoribus nimis ac nocturnis compescendis, erysipelate, indeque oborta gangræna, pleuritide ac inflammationibus quibusvis, phlogosis

antifebriles. bus & æstibus febrilibus, febribus tam continuis, quam intermittentibus quoque, malo item hypochondriaco, ictero, atque cachexia, ut & in suppressione urinæ, calculo & similibus affectibus nephriticis forent adhibenda. Perinde ac, ob acidam indolem, sulphur sanguinis obtundentem, insimulque aperientem *idem* præstarent tincturæ solis per spiritum salis communis §. X; per essentiam salis §. XI; & per spiritum salis §. XII. adductæ. Sic & aurum vitæ *Quercetani*, §. V. memoratum, ex saccharo saturni aliquam insimul vim *refrigerantem* adipisceretur, ea propter in hecticis, phthisi, & febribus lentis, humidum radicale de pascensibus cum successu adhibendum. Vti cum oleo saturni parata, atque §. IX. recensita, in plurimis affectibus, ubi *acidum* est peccans, v. gr. scorbuto, melancholia, quartana, chlorosi, & mensium obstructione, asthma, cancro, palpitatione cordis, tumoribus scirrhis atque œdematosis, ut & strumis ipsis tollendis, suo fungere-  
 tur officio. Illa vero §. VII. & VIII. per butyrum antimonii, & spiritum nitri bezoardicum parata, quamvis ob validam *sudoriferam bezoardicam* virtutem in peste, variolis malignis, atque retrocedentibus, febribus quoque malignis commendentur, merito ob corrosivum hoc menstruum interne in usum vocanda dissvademus. felicius in his casibus cum illis per oleum sulphuris, aut spiritum mannæ, aut essentiam fuliginis alexipharmacam, aut *Februcano*, vel *Zorvelfferianis* §§. XIV, XV, XXII, XXIII, XXV, & XXVI. commutanda. E diverso autem aurum porabile cum spiritu salis tartari paratum §. VIII. & *Mynsichtianum* §. XX. ex optimis haud postrema habentur, & in  
 & morbis tartareis tartareis opponenda morbis tartareis, arthritide, podagra ac chiragra, scorbuto, affectibus nephriticis, & hypochondriacis, imo

acidum  
 peregrinum  
 cor-  
 rigeutes

& morbis  
 tartareis  
 opponenda

ca-

cachexia ipsa & hydropo commendantur. Neque prætereundæ sunt vires *nervina* tincturarum solarium §. XVI. & XXIV. ex menstruis ibidem memoratis insigniter adauctæ.

Aura potabilia Londinensia Fr. *Antonii* §§. XVII. & XVIII. adducta, quid in morbo scorbutico, cum vomitu, ac dolorum cruciatibus, colica passione, ac flatibus, febribus ardentibus, ac quotidianis, epilepsia, vermibus infantum, morbillis ac variolis, nimio mensium fluxu, dysenteria, ut & hydropo ipsa præstiterint, peculiari scripto anno M D CLXXVIII. ab A. O. *Fabro*, Medico Britanno, edito, est recensitum.

Illud autem §. XIX. ex *Hartmanno* adductum, perinde ac aura potabilia utraque *Zwelfferiana* quemadmodum ratione menstrui, sale urinoso acuati, ita etiam virium intuitu cum Londiniano §. XVII. memorato, multum sunt convenientia.

*Clauderianum* quoque, adhuc semel denuo nominandum, ob essentiam insimul alexipharmacam fuliginis, qua cum paratur, suo commendat autor hujus merito, præcipue literatis, & qui complexionis sunt debilioris, in quibus nempe morbi oborti inveniunt sanguinem per meditationes ac labores fatigatum, ac spirituum fulcimento orbatum, indeque magis novam egentem refocillatione.

Cum primis autem strenue se gerit in partu difficili, ac morbis sexui sequiori familiaribus, passionibus ex. gr. hysteris, suffocatione, lipothyniis ac cephalæis uterinis, chlorosi, mensibus decoloribus ac deficientibus, febribusque inde obortis. Sapor vero, qui paulo est ingrator, per modicum spiritus rosarum, aut confectionis Alkermes completæ vel incompletæ, aut per vehiculum accommodum pro sexus tolerantia poterit corrigi & immutari.

*Basilianas* tandem tincturas solares, quas hinc

anti colicæ, au-  
ththalmi-  
ticæ,  
fluxus  
præter-  
naturales  
corrigen-  
tes

morbis se-  
xus sequi-  
oris debi-  
ta

quas o-  
mnes ac  
singulas

conjun-  
ctim exhi-  
bent au-  
ra pota-  
bilia Basi-  
lii testibus  
Brendelio,  
Fischeri,  
cujus  
scriptum  
editum  
debemus  
Exp. Krii-  
gero.

hinc inde *Basilii* vocat *panaceam* cæteris omnibus an-  
teponendam, & per hanc hominum innumeram mul-  
titudinem ab omnibus affectibus ac morbis ab intra  
obortis, liberatam refert, præ cæteris æstimant tum  
*Brendelius* in *Chimia sua*, p. 153. seqq. tum *B. Fischerus* in  
suo de aurea auri tinctura, sive veri auri potabilis me-  
dicina *Commentario*, quem evulgavit, atque è biblio-  
theca sua instructissima completum dedit *Experientis-  
simus Doctor Medicus Bartholdus Krüger*, Dominus ac  
Patruus meus ad tumbam usque colendus, quem hono-  
ris causa nomino, atque ipsi insimul pro fideli ac dex-  
terrime sua in his quoque operis informatione decen-  
tissimas grates persolvo. Harum ergo vires cum  
pro *panacea* habeantur, exponere supervacaneum du-  
ximus, cum ea omnia conjunctim præstare valeant,  
quæ unquam ab aliis pharmacis poterunt expectari.

§. XXXVIII.

Dosis  
quoque  
Tinctu-  
ram sola-  
rium, alia  
rum est

*Dosis* harum tincturarum quod concernit, eam  
admodum variantem deprehendimus, adeo, ut cum  
in aliis guttæ tres vel quatuor sufficiant, aliarum è di-  
verso præbium ad guttas viginti quatuor, triginta &  
ultra extendatur. Plurimæ harum ob saturatam &  
quam ita vocant, concentratam magis, quæ gaudent,  
efficacitatis suæ rationem, non nisi paucis III. vel IV,  
uti dictum, guttis amant vel cum vino, vel aqua  
cinamomi cum vino, vel, quod melius, vehiculo alio,  
morbum respiciente, erogari. Aliæ autem, v. c. §. IX.  
cum oleo saturni parata; aut *Londinenses* §. XVII. &  
media §. XVIII; nec non *Mynsichtiana* §. XX; ad VII. vel  
VIII; *Clauderiana* §. XXII. ad XII. vel XV; imo illa  
§. XXIV. adducta ad guttas XX. XXX. & ultra in  
dosi ascendunt, pro ratione *ætatis* semper *minuenda*,  
imo

imo in *chronicis* & maxime *rebellibus morbis* extirpandis etiam pro re nata *augenda*.

## §. XXXIX.

Potest etiam in modo dictis casibus & morbis pertinacibus tollendis ea methodus servari, quæ alias circa acidulas bibendas obtinet, ut nimirum à minori præbio exordium ducatur, & hinc singulis diebus illud per guttas paucas augeatur. Quæ, uti eo melius intelligantur, exemplo per aurum potabile curatæ *cephalæa* in viro primario L. annorum dilucidabimus. Hunc *Cephalæa hypochondriaco-scorbutica* pertinacissima, tinnitu aurium & vertigine ipsa comitata, nullisque remediis, etiam acidulis ipsis toties haustis expugnanda, ultra viginti annos adeo afflictum dederat, ut vitæ pertæsus miserimæ, hujus finem ardentissimis precibus Deo commendaret. Pristinæ ergo sanitati integerrime restituebatur mensè Septembri hac ratione. Præmissis digestivis primo die purgabatur massa pilularum è gummatibus *Comeringii*, cui aliquot grana resinarû ligni sancti & gialappæ erant addita. Secundo die hora 6.ª matutina XIII. guttæ auri potabilis §. XXIV. adducti, atque in paucis immutati, cum aqvis, serpilli composita, & cinamomi cum vino, anatica quantitate mixtis eidem propinabantur, ægrotus se in lecto detinebat, lenemque sudorem tandem per horæ unius spatium provocari sibi patiebatur. Hinc corpore probe absterfo, indusioque exuto, atque cum mundo fumigato, calefactoque, commutato, per horam propemodum in hypocausto deambulabat. Hora 12.ª prandium capiebat ex jusculo ac cibus levi opera digerendis, procul habitis lacticiniis, acidis, atque fructibus arboreis, mensa secunda apponi solitis. Proximo die augebatur dosis prior tincturæ solaris, tribus guttis, quibus eodem cum vehiculo adsuntis, æger in lecto, sine tamen prolecto sudore perseverabat. Prandium erat eodem modo ex aliis cibus concoctu facilibus, vinoque Rhenano mediæ ætatis his adjuncto, adornatum. Quarto die ad guttas auri potabilis XIX. ascendebatur, corpus denuo ad sudorem facile tolerandum disponebatur, de reliquo autem diætâ medica atque conveniens sollicitè observabatur. Quinto die auri potabilis guttæ XXII. eodem cum vehiculo atque regimine diætæ hauriebantur. Sexto die, guttis XXV. deglutitis, pruritus circa caput sentiebatur. Septimo die observabatur caput hinc inde exanthematibus, achorum faciem præ se ferentibus, oblitum, qui diebus sequentibus latiore in superficiem crustosam adeo diducebantur, ut veram propemodum tineam referrent, unde ægrotus hac naturæ crisi spectata, gaudio perfusus, Medico ipsam visitanti aliquale levamen capitis dolorum cum remittente tinnitu & vertigine referebat. Igitur tincturæ solaris guttæ XXVIII. in

A minori interdum augenda, rursusque diminuenda.

Cujus casus ac historia singularis,

Q

auxi-

auxilium vocabantur. *Octavo* die guttæ hujus tincturæ xxxi. ægroto porrigebantur, dictaque in quantitate per *biduum* adhuc persistebatur, alternis diebus per diaphoresin, non difficulter ferendam, semper institutam, fuliginibus morbidis è corpore eliminatis, indiesq; hinc magis remittente dolorum cruciatu. *Undecimo* die in vicem hujus auri potabilis, hoc die prorsus omisfi, corpus denuo pilulis ante memoratis purgabatur, unde crusta illa capitis sensim exarescere incipiebat, atq; quicquid adhuc è cephalæa reliquuum fuerat, prorsus evanescebat. Hinc pro absolvenda hac remediatione, impuritatibusq; scorbuticis è corpore prorsus ejiciendis, dosis xxxi. guttarum per triduum integrum adhuc servata, posthæc singulis diebus insequentibus eadem proportione imminuebatur ut hausto *vigesimo* die, ultimo xlii. guttarum auri potabilis præbio, sequenti die adsumentum pristinum purgans medelæ huius, per DEI gratiam felicissime adhibita, colophonem imponeret. Hinc igitur, quod singulos in admirationem deducebat, *corpus* adeo, per sequentia tempora, *innovatum* ac *juvenescens* deuo cernebatur, ut festinata illa senectutis insignia, capilli nempe præcani è capite æque ac barba grossus defluerent, atq; horum in locum recentes nigri subnascerentur.

*Qua* de re, perspecta hæc auri potabilis tam efficaci virtute, Vir laudatissimus, pro confirmando hoc, recuperatæ, per DEUM, sanitatis statu, ut & avertendis futuram recidivam producturis impuritatibus circa solstitium hybernium denuo hoc aurum potabile repetiit, & sequentibus annis proximis, singulis anni quartis, & posthæc, verno tantum & autumnali, temporibus idem eo cum successu continuavit, ut pristino morbo memorato nunquam iterum tentaretur.

## §. XL.

Tincturæ  
solares  
quandoq;  
per inter-  
valla repe-  
tendæ

Non om-  
nibus  
promiscue  
morbis  
sunt op-  
ponendæ.

Quod si affectus quidam tam altas egerit radices, ut vel ea ratione, quam memoratus casus edocuit, extirpari nequeat, tum consultum erit, præmissis universalibus, in usum vocato per aliquot dies, aut etiam pro conditione morbi, hebdomadas, auro potabili, naturæ per paucos dies quasdam dare inducias, atq; hoc ipso tempore cum universalibus denuo, v. g. primas vias respicientia, digestiva, aperientia, evacuantiaq; accommodata, tum etiam morbo eidem debita alia medicamenta selecta interponere, hincq; denuo tincturam solarem subjungere. Si vero nec hac ratione morbus sit abigendus, indicio id erit, viscera ipsa jamtum esse corrupta, & organorum labem præsentem plus docta valere medica manu, sicq; à privatione ad habitum non dari regressum. Neque enim tincturis quoque solaribus, quamvis præ aliis omnibus polychrestis magis inventis, omnes promiscue morbos, uti in superioribus jamtum dictum, tollere est datum, sed possunt adesse, v. c. tales morbi, *conformationis* dicti, in quibus frustra quoque ad harum auxilium confugas, si chirurgicis, cum primis, præsidii non detur locus.

## §. XLI.



Tandem quoque paucis tangendum est, aura potabilia etiam *præservandi* sine optime in usum posse vocari, siue contra morbos quoscunque, siue cumprimis contra epidemicorum insultus, corpus sit præmuniendum, in primo casu semel, in secundo autem bis vel ter singulis hebdomadibus, pro ratione ætatis doses in superioribus jam tum nominatas dimetiendo, ac cum potu Thèe vel Caffè, vel etiam vino generoso easdem assumendo, subsequo corporis motu conveniente, prandio ac cœna cibis concoctu facilibus apparatus, atque, paucis, regimine diætæ conveniente observato.

Præser-  
vandi sine  
etiam  
dandæ,

## CAPUT IV.

DE

## CROCO AURI.

§. I.



*Rocus auri, seu solaris, est pulvis metallicus sulphureo-terreus, ex auro pariter elicitus, ad croci colorem accedens, atque auri vires medicas in se continens.*

Croci so-  
laris defi-  
nitio, cu-  
jus  
definitum.

Croci nomen hoc medicamentum solare, proximius, uti dictum est, ex analogia *croci vegetabilis* obtinuit, ad quem colore suo est accedens, ita tamen, ut citrinus atque subflavus, subrubicundus ac purpureus, purpureo-item violaceus quoque, tanquam huic affines locum quoque adinveniant. Accedit & hoc, quod, uti croci vegetabiles efflorescunt, sic & hic, ex auro, per quandam *efflorescentiam* dictam emergant, rubiginem quasi auream referentes.

Quemadmodum vero tincturæ solares, præcedente capite expositæ, medicamenta erant *liquida*, sic è diverso croci solares præbent medicamenta *sicca*, & sigillatim *pulveres*, seu aurum sua compage, continuitate ac malleabilitate, ob sulphur dissociatum, solutum, atque in particulas minimas, lege artis & modis dehinc dicendis, redactum. Sunt vero porro

genus re-  
motum,

*Pulveres metallici*, quoniam aurum, quod materiam huic præbet, inter metalla, uti in superioribus est ostensum, primum locum, per principia sua maxime defecata obtinet, adeoque etiam sulphure eminentiori metallico, quod essentiam crocorum

subjectum

genus  
proximū  
corum magis constituit, pollet. Nominantur ulterius croci  
Pulveres *sulphureo-terrei*. Illud, quoniam per præparatio-  
nes accommodas *sulphur*, quod antea in intimis quasi auri re-  
conditum erat, magis, uti Chimici loquuntur, *extrahitur*,  
suoque colore, plerumque eminentiore venit in conspectum.  
Neque tamen prorsus & solum sunt sulphurei, ac deflagrabiles,  
croci solares, cum sic magis *sulphurum*, quam *crocorum* nomine  
venirent, sed sunt *sulphureo-terrei*, id est, qui & sulphur metal-  
licum, & in specie solare in se continent, & insimul illud *terre*  
*metallica*, quæ dominium hic obtinet, immersum, solvent, cujus  
ratione in pulverem queunt converti; uti de his doctissime de-  
nuo loquitur Ill. *Wedelius* pharmac. acroamatic. p. 285.

differentia  
Distingunt vero sese hi croci ab aliis tum ratione *materia*,  
jantum nominatæ, tum ratione *virium*. Materiam enim hujus  
medicamenti denuo constituit *aurum*, quod iterum optime,  
modis in superioribus recensitis, cum primis autem per antimo-  
nium, debet depurari, ne sulphur peregrinum atque inquinatum  
vires hujus deperdat, quas inferius, post adductas crocorum  
præparationes, dabimus indicatas.

Synony-  
mia.  
Vocantur etiam *calces* quibusdam. Nam, quemadmodum,  
quæ ignis, actualis nominati, ope ex regno *vegetabili*, calcinan-  
tur, *cinerum*; & quæ ex *animali* calces parantur, *ustorum*; sic quæ  
ex regno *minerali* calcis, & quidem plus minus *flavæ*, forma ena-  
scuntur, *crocorum* nomine denotantur. Quæ ex ratione etiam  
Exp. *Jungkenius* Corporis Pharmaceutico-Chymico-Medici Sect.  
III. c. V. p. n. 191. in calcinatorum serie etiam crocos recenset.

## §. II.

Præpara-  
tio, cujus  
modus  
primus  
Obtinentur autem croci solares non una ratione. (1) *cum*  
*salibus aurum coquendo*, ea propemodum ratione, uti superiori  
p. 83. dictum v. gr. secundum *Zwelfferum* Mantiss. spagyric. p.  
n. 319. hoc modo: *R.* Auri finissimi, per antimonium purgati  
, & subtiliter laminati unciam semis, salis nitri optime purificati,  
, salis communis seu gemmæ, ana uncias octo, aluminis crudi  
, uncias quinque. Misceantur, immittanturque cucurbitæ vitreæ,  
, quibus super affundatur aquæ simplicis s. q. pro dissolutione di-  
, ctorum salium: coquantur post in arena, igne modo ato ad  
, spissitudinem vel siccitatem salium pristinam. Aurum totaliter  
, solvetur, & salibus permiscebitur; quibus denuo aquæ simpl.  
, s. q. pro dissolutione dictorum salium & auri affundatur; filtrætur,  
solu-

solutio solis flava, aureiqve coloris; cui guttatim instilletur olei tartari per deliquium facti q. s. quousqve aurum totaliter fundum petat: quod per filtrum ab aqua salsa separandum, & aqua dulci recenti superius affusa, probe edulcorandum, tandemqve exsiccandum, & si libet, igne lento per horæ quadrantem calcinandum. Erit *crocus solis* pulcher adspectu, purpureo-violacei coloris, si bene operatus fueris.

## §. III.

*Secundus* modus procedit per *aquas stygias* aut *regias*, per quas aurum solvitur, solutumqve precipitatur. Hunc, tanquam paucis ab illo qui pag. superiori 76. §. XII. est adductus, distantem, unico tantum ex eodem *Zwelffero* Tract. allegat. p. n. 320. deprompto exemplo, dabimus illustratum: Solvatur nempe aurum cum aqua regia, seu spiritu nitri à sale communi destillando vel rectificando abstracti. Abstrahatur solutio ad siccitatem fere; residuum in vitriolum veluti Auri concretum, commisceatur cum particula, florum sulphuris, (quarta circiter parte, respectu auri) & leniter, calcinando sub tegula, vel in aprico, sub camino in terreo vase, (vulgo *Treibscherben*) sulphur adjectum totaliter, sub continua, tamen commotione & agitatione conflagret. Hic labor, (aurum, nimirum relictum eum recenti sulphure permiscendo & leniter, conflagrare sinendo) toties repetatur, donec aurum spongiosum, fiat, seque attollat in pollinem subtilem, & crocum purpurei, coloris; variis usibus adaptandum, ac medicamenti vice, usui medico statim applicandum.

## §. IV.

Pulveribus solaribus *croceis* hoc modo paratis multum affinia sunt *aura fulminantia* seu *sclopetica* ex eo dicta, quoniam igni in vase quodam accommodo commissa, vel etiam sola tritura paulo fortiori, facillime ac promptissime accenduntur, deorsum magis vergunt, cochlear orichalceum ipsis substratum perforant, aut, si ob aliquod obstaculum idem non possint, sursum cum impetu feruntur atqve ad hæc non satis cautis facere noxam ac læsionem inferunt. Cujus fulminationis ac strepitus causam doctissimus Gallus *Lemery Senior*, Cursus sui Chimici, Gallico idiomate conscripti p. n. 79. conjicit in spiritus aquarum stygiarum auro inclusos, qui corpus hoc solidissimum magna vi dirumpunt, ut liberum inveniant exitum, quando à forti illa ignis actione iidem excitantur. Aut etiam ex subitanea partium salium, ammoniaci,

Secundus

quo etiam  
aura ful-  
minantia  
parantur

nitri & tartari cum auri texturæ firmissimæ, dissociatione ac disgregatione deducitur, quam sententiam vide in Exp. mi Jungkenii Art. pharmaceut. p. n. 197. Ab ejusmodi auri fulminantis præparatione exordium ducit aurum potabile *Londinense* jamtum quoque §. XVII. p. 78. antecedentis capitis adductum ibidemque videndum, à qua præparatione haud abludunt & *Schræderiana* pharmacæ Med. Chym. lib. III. c. IX. p. n. 364. invenienda, & *Zwelfferiana* cit. loc. adducta.

§. V.  
 Neque ab his multum dispar est aurum fulminans *Lemerianum*, cit. tract. p. n. 75. adductum. cujusque præparationem in latinum translata p. 195. allegati tractatus dedit Exp. *Jungkenius* sequentibus: Recipe Limaturæ auri, q. v. pone in phiala, vel in matraccio, & affunde triplum vel quadruplum aquæ regalis, impone matraccium arenæ calidæ parumper, ibique id relinque, donec aqua regalis tantum auri solverit, quantum continere potuerit, quod cognosces, cum ebullitiones cessaverint, effunde per inclinationem liqvore in vitrum, & si remansit aliquid auri in matraccio, solvatur, ut ante dictum, pauca in aqua regali. Miscesolutiones, & his affunde aquæ communis quintuplum vel sextuplum, hinc conjice paulatim in mixturam spiritum volatilem salis ammoniaci, vel oleum tartari per deliquium paratum, videbis præcipitari aurum in vitri fundum. Diu quiescere id permitte, ne aliquid deperdatur de eo, hinc supernatante aqua per inclinationem effusa, lava tuum pulverem aqua tepida, donec insipida exeat, hunc pulverem exsiccare lenissimo calore super papyro permitte, quia flammam concipit facile, pulvisque magno cum fragore evolat. Si drachmam unam auri insumeris, scrupulos quatuor auri fulminantis probe sicci extrahes.

§. VI.  
 Tertius tandem modus utitur auri cum mercurio amalgamatione, quam non minus tincturarum solarium præparationes quædam nominatim §. XI. p. 75. §. XII. & XIII. p. 76. §. XVIII. p. 80. §. XXVII. p. 88. adhibuere. Hujus instituendæ processum ex *Schræderi* cit. tract. p. n. 364. habebis sequentem: Recipe auri laminati p. j. mercurii crudi p. vj. circiter, fiat amalgama, nimirum aurum laminatum, (& si vis ignitum) cum mercurio ad ignem calefacto, ut fumare incipiat, misce: misturam in aquam infunde, ut mistura ea undique tere similis evadat. Hinc tere cum

cum duplo sulphuris, continuoque ad ignem lentum agitando, calcina, donec mercurius & sulphur sine liqvesactione ac concretionem exhalarint, calxque solis colore calendulae remanserit. Huic preparationi *Schroederus* ex *Hartmanno* & *Begvino* duas subjicit annotationes, (1) feliciter procedere calcinationem, si (ante combustionem cum sulphure) idem mercurius cum auro toties amalgamatus, & ab eodem per retortam abstractus fuerit, donec sese invicem amplius amplecti recusent. (2) *Begvinum* separare mercurium superfluum per corium, post separationem miscere restantem massam cum duplo salis communis decrepitati, reverberareque sine fusione solis in crucibulo lutato, & non nisi parvo foramine aperto. Solem ita calcinatum (& edulcoratum) amalgamare eundem denuo cum mercurio, massamque traiectione in corio restantem miscere cum duplo sulphuris vivi, supersusso spiritu vini optimo, una cum sulphure effragando, sicque relinqui solem spongiosum, valdeque attenuatum.

§. VII.

*Zwelfferus* cit. loc. p. n. ead. in paucis & sequentibus tantum ab hac preparatione est differens, quod ad partem auri laminati unam, mercurii vivi partes octo, recipiat, amalgama in aquam profusum sale & aceto saepius atque eousque lavet, quousque omnis ablata nigredo. Tritum instituit sed sine sulphure, donec per liateum totum exprimi ac cogi queat. Hincque vitro sat largo, & fundo planissimo, ad orbis duplicati formam, uno quasi supra alterum collocato, instructo, idem immittit, & tandem, aliquot septimanarum spatio, solo calore arenae moderato, praecipitat in pulverem rubicundissimum, quem praestantiorum promittit, si loco vulgaris mercurii, ille antimonii, vel nativus virgineus, substituitur.

§. VIII.

Cum preparationes crocorum usque huc adductae nulla ulteriori egeant expositione, tum statim de viribus horum crocorum solarium dicemus. Quemadmodum ergo crocorum metallicorum in genere vires sunt *duplices*, *adstringendi* per se, & *aperiendi* per accidens. absorpto nempe, uti *Tackenius* circa finem tractatus sui, Hippocratis Chymici dicti, vult, coagulatore acido errante, & a natura proscripito; ita etiam idem de crocis solaribus erit judicandum. Unde *illius* ratione, praeter *generales* in superioribus nominatas virtutes *cordiales*, *roborautesque*, *diaphoreticas* & reliquas, in *fluxibus* quibuscumque sanguinis & feri, ut & compescendis vom-

& Zwelfferus

Crocorum solarium vires

adstringentes

vomi-

vomitibus, diarrhoeis, dysenteriis, mensium nimio, fluore albo &c. usus erunt non contemnendi. Intuitu vero *hujus* in omnibus morbis quæ *aperientia* sibi deposcunt, v. g. malo hypochondriaco, ictero, cachexia, chlorosi, mensium obstructione, febribus item intermittentibus & reliqv. valida atq; generosa præsidia existent.

§. IX.

**Auri sigillatim fulminantis virtus est** De auro fulminante sigillatim illud erit notandum, quod quemadmodum vis illa fulminans eidem vel spiritus salis communis aut sulphuris portione, inter lævigandum affusa, vel coctione cum aceto destillato per horas aliquot, adimi potest, ita eandem quoque amittit, si nimium edulcoretur, id quod *Lemserianam* hujus rationem superiori §. III. adductam, multum confirmat. Perit insimul virtus ejusdem *laxans*, quæ egregia prorsus est, & non saltim per superius, sed & intestinorumos expellit, & insimul egregium *anticolicum*, flatu & ventris tormina discutiens evadit. Manet tamen *diaphoreticum*, & sudores noxios eliminans, etiam hac ratione preparatum.

§. X.

**Dosis** Dosis horum crocorum etiam est paucorum tantorum granorum ij, iij, ad vj. vel viij. pro ætatis ratione augenda, & cum aliis accommodis medicamentis, & vehiculis assumenda. Vnde in epilepticis insultibus infantum auri fulminantis gr. j. ij, vel iij, cum duplo vel triplo arcani duplicati, insigni cum emolumento, iisdem porrigenda, ordinavimus.

§. XI.

**Regimen ac diæta observanda,** Regimen atque diæta conveniens etiam in hoc crocorum solarium usu curate debet servari, cibis concoctu facilibus, & potu bonæ notæ adsumtis, vitatis autem acidis, salis, muriaticis, infumatis, ac lacticiis, & observato cumprimis motu, post adsumtum medicamentum, conveniente.

§. XII.

**Tractatus totius Epilogus.** Sunt hæc, quæ de auro, ejusque usu medico, adducere lubuit. Restarent quoque alia medicamenta ex auro obtinenda, quorum tamen recensio, ob molem schedarum harum jam tum nimis adauctam, in aliud tempus erit differenda. Nobis sufficiet, quando in medium prolata à Benevolo Lectore benigne dijudicabuntur, utpote, quem, juxta DEI gloriam, ac ægrotorum salutem, unice respeximus

F I N E M.

## Corrigenda extantiora & addenda.

Pag. 4. lin. 5. à fine legatur *Consiliarii*. p. 7. lin. 1. 2. 3. & 4. deleantur notæ,, in margine appositæ. pag. ead. lin. 12. deleatur primum comma, & eadem linea lege *notumus*. pag. 9. lin. 15. leg. *experientia*. p. 11. l. 1. leg. *his armis*. p. ead. l. 6. leg. *hunc hostem*. p. ead. l. 11. leg. *dicemus*. p. ead. l. 21. Verba Huius ignis & seqq. iisdem litteris scripturæ antiquæ vocatæ debent exprimi. p. ead. l. ultima leg. forma *stiviti*. p. 12. l. 2. leg. *cœunt*. p. ead. l. 16. leg. *grossor*. p. 23. l. 22. leg. *sulphureas fixiores*. p. ead. l. 28. leg. *discerptur*. p. 27. l. 7. à fine post verbum *refert* del. punctum. p. 30. l. ult. leg. *adfit*. p. 31. l. 3. leg. *in fumo*. p. ead. l. ult. leg. *ferri*. p. 32. l. 5. leg. *substitit*. p. 34. l. 5. leg. parant *ex eodem*. p. 47. l. 6. ad finem incisionis addantur sequentia: Tale cuprum ex laminis ferreis quoque beneficio capitis mortui ex destillatione vitrioli & salis communis residui, & in aquam resoluti parare per veram transmutationem docet *Bassl. Valentini* in Curra triumphali Antimon. edit *Kerckyingiana* p. 222. p. 48 l. 17. post verba *Solve mihi hunc syllogumum*, addatur: Idem etiam responsum datum fuisse *B. Cornelio Martini*, contra transmutationem auri quondam hinc acriter disputanti, à Nobili quodam, publico in aurum ostendenti perhibetur, quem ex illo dein tempore artis huius strenuum cultorem fuisse certum est, Ill. *Wedelio* huius ex autographis *B. Viri* fidem faciente Introd. in Alchimiam cap. V. §. II. p. 60. lin. penultima legatur *Pharm. Aug. animadversionibus* p. 165. & *Mantif. Sp.* p. 316. pag. 65. lin. 5. post vocem *metallis* inseratur tum perfectis, tum imperfectis, perinde ac ex his eductis substantiis, *litargyrio*. pag. 69. lin. 6. à fine legatur *solve in spiritum*. pag. 79. lin. 2. legatur in *principio*. pag. 81. lin. 7. legatur per *aurifabrum*. pag. 90. lin. 11. legatur *observet*. pag. 95. ad initium §. XXX. in margine legatur *dilucidato*. pag. 96. lin. 20. leg. *bezoardico*. pag. 104. lin. 12. leg. editionis *Neneriana*. pag. 106. lin. 12. legatur *cum quo evocati*. pag. 122. lin. 15. leg. *denuo* cernebatur. pag. ead. lin. seqq. legatur *prorsus* defluerent. pag. 123. Cap. IV. §. I. lin. 9. lege *hi*, pro *hic*, & lin. 14. *Medicamenta*. pag. 124. §. II. lin. 9. lege *moderatus*. pag. 128. lin. 14. legatur *intestinatorum os*. pag. ead. lin. 19. legatur *paucorum tantum granorum*.

Reliqua vel leviora, vel idoneo charactere haud expressâ *Benevolus* Lector ipse emendare haud dedignabitur.